

RZ - 715



Kassai királyi jogakadémia
Könyvtára

Szekrény szám *XVII*
Osztályzat *f.*

252

China

XVII g

1091

Otvorená ľudová križnica - Košice

Príz. č.

12957/964

Stav.

R2-715

kis 180:-

Odb. zlož.

Rev. II

982(091)

K

Rev. 1989

**PRIMA QUINQUE SÆCULA
REIGNI
MARIANO.-
APOSTOLICI**
*Inseriptus Denuo Repd. Scipio.
S. J. Ethicè adumbrata. 1708.*
**P A R S P R I O R .
HONORIBUS
SPECTABILIS, AC ERUDITI
DOMINI, DOMINI
SIGISMUNDI
PECHY DE EADEM.**

*Dum in Alma Episcop. Societatis JESU
Universitate Cassoviensi.*

**P R O M O T O R E
R. P. FRANCISCO PINKA
é S. JESU, AA. LL. & Phil. Doctore,
eiusdemque in Physicis Professore Ordinario.**

*Primâ AA. LL. & Pbil. laureâ ornaretur,
A NEO-BACCALAUREIS Condiscipulis dicata.*

Anno MDCCXLV. Mense Jun. Die 3.

CASSOVIAE, Typis Academicis S. J.

12957/962
Rz 715

SPECTABILI,
AC
ERUDITO DOMINO,
DOMINO
SIGISMUNDO
PECHY
DE EADEM,
AA. LL. & Philosophiæ Bacca-
laureo recens creato.



PERILLUSTRES, REVERENDI, PRÆNOBILES,
Nobiles, ac Eruditæ Domini
NEO-BACCALAUREI.

Dum secundos inter Bonorum omnium, Literariæ cum primis Reipublicæ applausus, primâ Sapientiæ laureâ meritissimi Vestri redimuntur vertices DD. Neo-baccalaurei; nos, ante alios Honori Vestro obnoxii, tante felicitatis gratulationem meditantes, non aliud pretiosius Gloriæ Vestræ tholo appendendum anathema, quam Victoriae Lauros, reperimus. Aptæ equidem triumpho Vestro munera, si politiore manu concinnantur. Quid enim aliud aut Vestræ expectationi tam gratum, aut cumulandæ, si quæ possit, gloria sic idoneum, aut, quod caput est, Vestræ pietati accommodatum ita esse poterat, atque si sacras illas Gloriosissimum Urbis hujus Cassoviensis Heroum: Illustrissimi Domini Comitis ANDRÆ DOCZI: Reverendissimi D. MARCI CRISINI; & duorum è Societate JESU Venerabilium Sacerdotum STEPHANI PONGRÁTZ, & MELCHIORIS GRODECZII, invictæ Fidei Laureas

Vobis

Vobis dedicaremus, quibus ceu. fæcundissi-
mæ radici, Vestræ quoque suam debeant
originem. Illorum namque Illustrium Fi-
dei Catholicæ Pugilum fæcundo, quo locum
hunc irrigârunt, sanguini, uti omnem
Athenæi hujus, quanta quanta est, ampli-
tudinem; ità Vestrarum, reliquarūmque
omnium hic adhuc exortarum Laurorum
florem, ac incrementum adscribi oportere,
pii omnes nobiscum sentiunt. Hæc ipsa
certè Academica Aula Vestrique Templum
Honoris, Palatium olim DOCZII, hòcque
accommodante duorum illorum è Soc. JESU
Patrum aliqua sui parte habitatio; subin-
de etiam arena gloriofissimi certaminis
extitit. Has ergo Laureas gratò in Mar-
tyres; benevolò in nos animb suscipite,
O si minùs nostri i Studii; Vestræ saltem
pietatis caussâ illas probate. Erunt hæ
majorum Virtutis, ac Sapientiae Vestræ
triumphorum stimuli, O ad omnia pro
DEO, Rege, ac Patria fortia agenda jux-
tà, ac dura ferenda incitamenta. Ità
vovent

HONORI VESTRO

Addictissimi
Poëtæ CASSOVIENSES.

SPECTABILIS,
AC
ERUDITE DOMINE,
DOMINE
NEO-BACCALAUREE.

Duplici titulo vestigalem glo-
riam nostram hodierno die,
TIBI debemus Spectabilis Do-
mine Neo-Baccalauree! alterò: quòd
ad eam præcellenti eruditione TUA,
a què & virtute TE nobis Ducem exhib-
beas; alterò: quia quid quid in nos ex hac
Philosophiæ laurea redundat emolumenti,
à TE, velut fonte, profluxisse videmus.
Scilicet id unum & ad honorem, & ad
lætitiam nobis accedere poterat, ut in

partem felicitatis hujas TU nobiscum,
nos TECUM veniremus. Et verò tan-
tæ sunt dotes TUÆ Spectabilis Domine,
ut illis non minus incitamento fueris
singulis, quàm omnibus admirationi.
Nam, ut glorioſos Majorum TUORUM
cineres prætereamus; ut nihil dicamus
de illustri Proſapia TUA, quæ hodie dum
tot ab avita Religione, ac eruditione
Clarissimos Viros censem, ut Sola, &
Una, magno Superum favore, pluribus
provinciis sustinendis, atque moderan-
dis ſufficiat; ut ſpectabilem Genitorem
TUUM, ceu Patrem Patriæ, Religionis
decus, Scientiarum, ac cumprimis Juris
Patrii prope oraculum, virtutum, ver-
bō, lectissimarum Sedem, ac domicilium
humili silentio veneremur; ut denique
mittamus plurima alia decora TUO-
RUM, quæ ita illis ſunt propria, ut
plurimum etiam in TE ſplendoris refun-
dant, & à TE tantumdem recipiant;
dum enim TE ipſo palam facis, accipere
nonnunquam à Majoribus Filios non tam
ut ſint, quàm ut magni ſint, ac ſuorum
gloria hæredes, unā etiam luculentè do-
ces magnos eſſe debuiffe, à quibus tan-
tus

tus processisti. Illa, illa, que TIBI quasi
innata, aut certè TECUM educata sunt,
nobis satis, supérque illustrandis erunt:
ingenii vis, ac perspicacia rara ad qua-
vis scientiarum arcana, amplissimus erga
alios animus, quotidiana in Superos.
Divámque Matrem devotio, observan-
tia in Majores, affabilitas in pares, re-
verentia in omnes maxima, vitæ de-
nique, ac morum candor. Loquuntur
hodie dum exquisitas has animi TUI do-
tes veterani Contubernales TUI, qui-
bus ad exantandas in stadio literario
generosè molestias alios, alios ad virtu-
tis emulationem incendisti: loquitur
Athenaum illud, quod pro mansuetiori-
bus delegeras Musis, dum magnum quid-
pam se perdidisse, simul ac TE amisit,
adhucdum fatetur. Nos certè, ubi pri-
mùm TIBI convivere capimus, TE
probatae exemplar virtutis & suspexi-
mus, & feliciter imitandum proposui-
mus. Hæc fuere, ut nullus sit, ad quem,
postquam fama TUA pervolavit, TE
nobis non invidisset: & sanè inviden-
dus eras pluribus, nisi nos TIBI præ
omnibus potiores fuissemus. Hinc, cùm

tantus sis, cresce & porrò in spes Patriæ, comoda Reipublicæ, solatium Regni, ac vota omnium. Perge, quō cœpi-
st̄, calle, & nobis innocentis vita, ac singularis doctrinæ exemplō ad ulteriores laureas Duce m̄ age. Quod TU,
dum facies, à nobis hoc, sincerum no-
stræ in TE observantia testem, pignus
honoribus TUIS inscriptum, gratus ac-
cipe. Libellus mole est, at materia liber; quia magnis, & multis primorum
Hungarorum factis plenissimus. Quem
proinde acceptum TIBI fore speramus
vel ex eo, quod & lectissima non nisi
contineat, & animum TUUM Patriæ
eruditionis capacem juxtā, ac avidum
oblectare possit. Fruere illō, dum pari-
bus factis amplius inolarescas, quod
advovemus

HONORIS TUI

Studioſſimi

CONDISCIPULI NEO-BACCALAUREI.

D. O. M. A.

Quod

Bonum, Felix, Faustum, Fortunatumque sit, huic Almæ Episcopali
S. J. Universitati Cassoviensi, Senatui Philosophico, Totiq; Reip. Christianæ.

S U B

Reverendo, ac Doctissimo Patre

IGNATIO ROYS,
E SOCIETATE JESU,
AA. LL. & Philosophiæ Doctore,
Sacrorum Canonum Professore,

Nec non

Inclytæ Facultatis Philosophicæ
DECANO SPECTABILI.

Spectabiles, Perillustres, Reverendi,
Prænobiles, Nobiles, ac tam Virtute, quam
Eruditione conspicui.

In Aula Universitatis An. MDCCXLV.

Mense Junio, Die I. Hora 8. matutina.

Prima AA. LL. & Philosoph. Laurea
condecorati sunt.

P R O M O T O R E

R. P. FRANCISCO PINKA,
E SOCIETATE JESU,
AA. LL. & Philosophiæ Doctore,
ejusdemque Professore Ordinario.

NOMINA PROMOTORUM,

Ordine Alphabetico.

1. { ADALBERTUS SZOJKO-VICS, Libert. Polonus Crausoviensis, ex Palatin. Cracoviensi.
- EMERICUS PINTÉR, de Legeny, Perill. Hung. Ujhel. ex Comit. Zempliniensi, è Conv. Nobilium.
- SIGISMUND. ANT. PECHY, de Eadem, Spectabil. Hung. ex Com. Sárosiensi.
- SIGISMUNDUS LŐTSEI, Nob. Transylv. Claudiopol. ex Comit. Kolosiensi.
- ANDREAS RÉPASI, Hung. Só Variensis, ex Comit. Sáros.
- FRANCISCUS WUKANICS, Civ. Hung. Bud. ex Com. Pil.
- IGNATIUS KRACZER, Civ. Hung. Leut. ex Com. Scepus.
- JOANNES SARTORIS, Libert. Hung. Szelczensis, ex Com. Zoliensi.
- ALEXAN. HORVÁT, Nobilis Hungar. Homok-Tereniensis, ex Comitatu Neograd.

Ordine Alphab.

- { ANDREAS DÓRI, de Jobba-Háza, Spec̄t. Hung. Miskolcziensis, ex Com. Borsodiensi.
ANDR. TALIAN, de Vizek, Perill. Hung. Onod. ex Com. Borsod.
3. JOAN. KALCSÓ, Nob. Hung. Galsaiensis, ex Com. Neogr.
- JOAN. TANNER, Civ. Hung. Czassov. ex Comit. Aba-Ujvar.
- { JOSEPHUS WERBOVSZKY, Nob. Hung. Malfalvensis, ex Comit. Scepusiens.
4. LADISL. MISKOLCZY, Nob. Hung. Bartf. ex Comit. Sáros.
- MICHAEL BODVAY, Nobil. Hung. Miskol. ex Comit. Bors.
- LADISLAUS KORPONAY, Nobil. Hung. Czassov. ex Comit. Aba-Ujv. è Conv. Nob.
- * MARTINUS STRAMSKI, Civis Pol. Neofor. ex Palat. Cracov.
- * VALEN. KRCSMARCSYK, Hun. Krompach. ex Comit. Scepusiens.
- EMERICUS BESENNEYEY, Nob. Hun. Izbugyiensis ex Comit. Ungvariensi.
- LUCAS HABINA, Libert. Hung. Varhaniensis, ex Com. Sárosiens.

PAULUS MESZAROS, Nob. Hung.

Jasz-Berinensis, ex Districtu Jazygum.

ANDREAS PENXA, Libert. Hung.

Nagy-Frankov. ex Comit. Scepus.

JOANNES STRAKOS, Hung. Selnicensis, ex Comit. Liptoviensi.

CHRISTOPH. ZEMBOVICS, Hung.

Katzvinkiensis, ex Comit. Scepus.

ANTON. BAJNOCZY, Nob. Hung.

Szécs-Keresztur. ex Com. Zemplin.

MICHAEL OGIBOVICS, Hung. Olalvensis, ex Comit. Scepusiensi.

EXTRA ORDINEM.

Rev. D. FRANC. KADAS, Nob. Hun.

Gyöngyös. ex Com. Heves. Sem.

Kisd. S. L. R. H. Alum. Dicæc. Agr.
imi Anni Theol.

Rev. D. PAULUS BUZASY, Libert.

Hung. Gács. ex Comit. Neog. Sem.

Kisd. S. L. R. H. Alum. Dicæc. Agr.
imi Anni Theol.

PROBLEMA IN ACTU DECISUM.

Portiorésne primis 5. Sæculis fuerint Hungari, qui pro mœnibus contra hostem depugnabant? an, qui cum iisdem aperto in campo decer-
tabant.

PROPOSITIO OPTICO-CATOPTRICO-DIOPTRICA.

Camera obscura portatilis universæ Optices synopsm brevi compêdio exhibet, & demonstrat.



PRO E M I U M.

I.

AJO Cæsare Dictatore evecta
in Orbis Dominam, Deāmque Roma,
subinde Augusti, quemadmodūm
magnificentia in marinoram, ita pie-
tatis, sapientiae, clementiaeque artibus in æter-
nam summæ Majestatis arcem assurrexerat, nisi
succedentium sceleratorum (Religio nāmque ve-
tat dicere, Divorum Principum) capitum ava-
ritiā inexplebili, ambitione sacrilegā, turpissi-
mā libidine, crudelitate suprà barbaricam, im-
pietate demùm īauditā in servam proculcata in
colluviem scelerum refluxisset, ut sacris in libris
audiat convulsæ sceleribus suis Babylonis no-
mine deformata, suō demeritō, justō Divūm ju-
diciō. Et sinē dubio perierat suis ipsa clādibus,
nisi Divinæ providentiæ urna profudisset Prin-
cipem, qui reponendæ in suum fastigium moli-
virtute, & sapientiā post natos Quirites præstan-
tillimus accurrisset.

Constantinus ille genere Augusto, gente Bri-
tannus, magnitudine animi antecessorum ne-
mini secundus, subinde Religione maximus, de-
victis Magnentio, utroque Liciniō tyrannis Ro-
manam restituit rem, atque ut geminatā basi
moles Imperii staret firmior, æmulam Capito-

linæ novam erexit Romam , ut in hac & veteri,
polis nempe terrestribus Romanus verteretur
Orbis. At verò iterum mole suâ Roma labo-
ravit , námque post fata parentis optimi tres Au-
gusti fratres suscepere Imperium partitis Provin-
ciis ; postremus paternæ Religionis desertor,
Arianæ impietatis fautor Constantius rimam ,
quin hiatum fecit , ut Imperium pateret ad iustum
& ruinam. Ulturus enim perfidiam DEUS , ra-
tum habuit in sceleris poenam , ut septentrio to-
tum se plenâ tempestate effunderet , effetq; DEO
gladius ad insaniam Arianorum percutiendam.

II. Immanium ergò populorum exercitus ,
quos extremus Aquilo ab humanitate subinovit ,
mores horridi , fera in doles severiore Hieronymi
calculô in feras duraverat ; veri Numinis incuria
infra belluas projecerat , egestas maxima in rabi-
em armavit , Pannonias inundant primū , inde
fluctu trudente fluctum , Gothos Vandali , hos
Heruli , Alani , Avares , Hunni occupatis pellunt
sedibus , ac in ima Italiæ propellunt viscera , etiam
ultrà Gades & in Africam ; donec discerpto Im-
perii Romani corpore novis nova nomina regnis
dederunt , Francico , Hispanico , Longobardico ,
Hungarico communi nomine genus omne Ro-
manis dictum barbari , adeò tamen iniquō in
meliorē subinde eventum convitiō , ut excul-
tos ad omnia humanitatis jura Quirites barbari
hi facile superaverint . Quas quidem fortunatas
undequaque vices ad varios plerique fontes re-
ducunt ; ipsam enim melioris cœli temperiem fe-
cisse , ut sterili è solo transplantatæ gentes fœ-

cun-

eundos unà dulciorésque fructus germinarent; aliis consuetudinem cuin Romanis probari, quâ virtus improbos persæpè reddit probitati; denique ætati tribuunt plurimum in hac vicissitudine non pauci, crudi namque cætera fructus aut marcescunt tempore, aut maturescunt; Religioni certè Christianæ fructus mansuetudinis dandi sunt in acceptis, ut cuilibet vel à limine salutanti scriptas à Christo nato gentium historias in luce positum videtur. Ubi enim Divina hæc Religio sanctitatis suæ insinuavit radios, pleniore simul agmine infudit rerum Divinarum cultum, pietatem in patriam, in suos charitatem, inter cives concordiam, in omnes benevolentiam singularē.

III. Jam stilō animoque intentō ad res Hungarorum, quos uti profundior ignorantia Diuum pares in rabie inhumana cæteris, ità splendor infusus fidei evangelicæ nihilō fecit populis humanioribus inferiores; tres earum veluti ætates suis notatas æris invenio: Unam, quâ ethnæ superstitionis adhuc tenebris involuti, Europam eruptione barbarā populati sunt Hunni. Alteram, quâ Regnō jam conditō Christiani sive veterum Hunnorum reliquiae, sive nova Gens Hungari annos quingentos floruerunt Ultimam denique ad nostra hæc tempora partim sub jugo Sultanorum, partim sub Austriacæ alis clementiæ exorrectam.

IV. Primam illam ætatem tum suâ confusam caligine, tum vastati Orbis excidio invisam adeò infelix corruptit memoria, ut dum vulgus anti-

qui⁹ seu scribentium insolentiā, seu territ⁹ dum geniō omnia in deterius depingente, Hungaros genus Satyrorum credidit, effecit, ut hodie remoti abhinc paululum, & albæ mentis homunculi ex bellico cultu vestium, quō volantes pileis assurgunt alæ, tergō tygridum, pardorumque defluunt exuviae, nescio, quasi quoddam semihominū genus, eos perhorrescant; adeò nimil difficultes sumus injurias oblivisci. Hinc fluxisse facile sit conjicere, ut complures rerum Hungaricarum ē tenui mussatione gnati, modò sermonem & quidem in peregrina sibi causa non æqui admodūm iudices & durum & sibilantem, voces ipsas sesquipedales traducant; modò profusam compotandi licentiam accusent, cùm tamen in istis esset locus veniae, quibus patrii foli felicitas fecit copiam grani melioris, & fruendi indulgentiam. Sunt, qui ex cordis prorsus inertiae arguant Hungaros, nec nisi somno crapulæ que totas hyemes ignavissimè devovere, quando tamen peregrina manus buccellam porrigat nulla, multi Hungarorum laboribus nutriantur; sunt etiam, qui ut profusos laudis, & gloriæ studiosos plus æquo reprehendant, nec ambitione carere. At ambitionis insinuare pronum est æmulis; gloriâ verò attolli, liberalem esse laus fuit prima optimorum ingeniorum. Icon animorum gemina in Hungaris perstringit, alteram incertam fidem, quod quidem crimen in aliis gentibus sagacioris consilii profunditate, utili ac necessitate redimitur, in Hungaris tantò leviorē meieretur arbitrum, quanto pluribus cir-

cumventi erroribus, cui potissimum fidere debent, minimè asséquuntur: alterum depingit venustius, dum libertatis acerrimum studium ita describit: *Magna licet in Regno libertatis vestigia;* item: *Non alia nobilibus cura ingentier, quam nè quid de iis prærogativis decedat, quas à tam multis etatibus intemeratas habent.* Quod quidem studium si pulsis Regibus dedit Romanis Consules, & Tribunos, fatô, quô accidat, ne scio, ut in Hungaris pateat criminatio, postquam nec superi repererunt, donum, quod darent mortalibus præstantius, quam & recte & liberè agendi facultatem.

V. Unum tamen est etiamnum, fuit veteri ætate celebrius, Pannonici nimirum soli felicitas & ad usus humanos exquisita ubertas, quam & Romanæ quondam familie amârunt opibus, & præfeturis inclytæ, & peregrinæ gentes, dum pulsis aliis novæ sedes figerent, ut quod Atticæ contigit ob ficus grandiores à Xerxe, idipsum Pannoniae & pluribus tieulis, ut quando illam fertilissimis Europæ plagiis aut æquarant, aut antetulerant scriptores, candem sibi ferrô gentes plurimæ vendicarent.

VI. Ætatem ultimam diu infelix egit Hungaria, meruitque fin minus omnium, certè bene animatorum dolorem, posteaquam Mohaciensi clade prodita, discordiâ æmolorum perdita, denique ab immanissimo hoste sub jugum missa usque adeò sibi evasit dissimilis, ut eam nosci vix posse fateretur Barclajus: *Indolens gentis ideo magis arduum scire, quod hoc sculô horribili*

clade perculta est, suesque moribus vix relieta,
binc urgentibus barbaris potitisque magnâ parte
provinciae, binc milite ex omnibus Europæ populis
ad auxilium lecto, moraque ac multitudine ali-
quid suorum morum sensim in illam regionem
transfundente. Quamobrem priusquam de po-
strema hac ætate altera prodeat in lucem pagina,
mediæ illius, quingentorum annorum curriculô,
suisqæ actæ moribus Hungariæ hæc esto forma,
quæ nativo potissimum regebatur Principe, pa-
triis legibus, domesticis ritibus, indole sua; vi-
ditque uti res magnæ ferunt, felicis æquè ac in-
felicis fortunæ casus; dedit exempla, quibus
posteriorum provocaret studia, memoriam, &
æmulos animos exterorum.

VII. Tridentina certè synodus, Patrum sui
ævi, virtutis & sapientiæ flos, de Germaniæ im-
primis procuranda salute solicita, tum Hunga-
riæ duplici malo Mahumeticæ tyrannidis, & hæ-
reticæ impietatis incumbente pressæ indolens,
summarie ad calculum revocatis, florentis olim
gentis, ac pro Republica Christiana meritis ffi-
pendiis, fuso sanguine, ornatis Romani ritûs vi-
ris, atque altaribus, brevi elogiô, sed nonnisi flo-
rentissimis datô Provinciis Hungariam decora-
vit, dum nobilissimam, deque Christiana Repu-
blica meritam optimè palam prædicavit. Æne-
as Sylvius subinde sub nomine Pii II. Pontifex
Romanus Fidei Christianæ clypeum, & Religionis
murmurum pronunciavit.

VIII. Ex quibus ornamenti nonnullas tantum
lacinias decerpere fuit animus, nam optima in-
vidit

vidit Sultanorum tyrannis, dum plurima cinere indecorō sepelivit; totūque hoc laboris ea mente placuit assumere, ut imaginem tantæ gloriæ habeant posteri, non exteri; quanquam enim Anacharsis eruditas multa docuerit Athenas, egeritque unus Scytha, homo nimirū barbarus, quæ scientiarum domicilium Græcia miraretur. At delicatiōri ævi præsentis palato grossis his fragmentis movere stomachum, aut sublimatæ ad apicem virtutis Reipublicæ regendæ peritis viris obtrudere hæc scruta infra consilium fuit. Unum proinde fuit desiderium prodeſſe popularibus, delectare domesticos, ut dum aspiciunt, quibus orti ſint auspiciis, quibus ad virtutem eveſti auxiliis, quibus præſidiis tuiti honores, diſcant nulli non patere viam ad gloriæ ſacrum, qui duce virtute progreditur, nullis naturam etiam ſub inhospitali Caucaso natis adeò iniquam fuiffe, quin & ignes inderet animis & capacem rectæ institutionis mentem, modò boni genii ſequatur ductum, & Numinis impetum ad ſui notitiam, cultūque pertrahentis.

IX. Atque ut hæc præſens industria palam faciat Hungariæ Ethicam: cum optimis civitatibus, & rebus publicis consentire, insuper ut fundatæ Reipublicæ authoris Stephani mentem rectè exprimat, ita virtutum ac exemplorum duendus veniet ordo, ut & veterum ethicorum ſequatur vestigia, & eadem expromantur ornamenta, quæ in ſuis conditor Hungarici Regni desideravit. Cujus desideriis impletis tu te oblecta, quisquis inspicis, & ut ad ſuprema labra

compleantur, tuæ virtutis suffragiô contendere;
 & quod in viris Principibus adorandum ac sub.
 lime aspiceris, mirare, quòd in privatum cul.
 tum faciet, edisce, & virtutem virtutibus orna.

C A P U T I.

*Hungariae Regnum è singulari DEI pro.
 videntia, Religione, seu primo lapide conditum.*

I. **M**Ultum interest, unde res quælibet trahat originem, quemadmodùm enim vietri-
 ces aquilæ imbellem non pariunt columbam, ita
 quo authore, quibus auspiciis natæ sint urbes,
 atque imperia, indagandum imprimis ad capien-
 dum omen de eventu felice aut infortunato.
 Certè conditores, ut latis, aut ferendis à se legi-
 bus robur adderent, & dignitatem, tametsi sa-
 pientiâ & probitate cæteroquin valerent pluri-
 mum, illas tamen inventa Deorum esse, aut ora-
 culis, aut auguriis affirmabant. Lycurgus à pie-
 tate ob servatum ingenio Charilaum, & ab amore
 justitiæ clarissimus, Spartanorum animos usque ad
 deferendam sibi Reipublicæ potestatem devin-
 xerat, adeò tamen operæ nihil se facturum exi-
 stimabat sinè interposito Divorum Numine, ut
 obsecrare Apollinem Delphicum non supersede-
 rit, quo adusque audiret à Pythia se DEO charum
 esse, nec tam se hominem, quam DEUM appel-
 lari, ac Reipublicæ statum à se Spartanis indu-
 cendum fore præstantissimum. Necdum satis;
 constitutâ jam Republicâ, inductis in usum legi-
 bus, facturus ævum operi, Delphos repetit,
 oraculum impetrat, mittitque Lacedæmonem:

Leges benè conditas esse. mansurāmque eam
 urbem, si Lycurgi steterit institutis, longè cla-
 rissinam. Numa fortunatō duodecim vulturum
 urbi conditæ auguriō, ut sacras inferat leges ri-
 túisque superstitiones, lucos amoenos, & sacra
 frequentat loca, cum Jove, & Nympha Ægeria
 consilia miscet, utque fidem imperet, ancile cæ-
 lō impetrat insignē sacrorum. Occupatā Ægy-
 ptō victor Macedo positurus Græcam suóque
 urbem de nomine, in somnis edoctum se fingit:
 condat, ubi undoso quadam jacet insula ponto op-
 posita Ægypto, Pharon illam nomine dicunt, tum
 somniatam Pharon adit, urbēmque jubet descri-
 bere, cui figuræ in solo nigro describendæ cum
 creta deforet, polentâ utendum erat, quam pro-
 tinus innumeræ, variæque, ac grandioris formæ
 volucres diripuere; territus ominosō prodigiō
 penè defierat, at docetur ab augure urbem ibi
 fore locupletissimam, omnique hominum ge-
 nere frequentissimam. Quæ quidem omnia sive
 mendacio, sive superstitioni obnoxia fuerint, pa-
 lām tamen faciunt, quām intelligent mortales
 etiam potentissimi nulla sua, aut peritura fore mo-
 limina, quæ authore non ornantur Numinis pro-
 videntiâ, etiamsi dissimulent juvari.

II. Hungarico sanè Regno non tam homines,
 aut meruerunt, aut rogārunt dē cœlis auspicia,
 quām sua providum Numen præmonstravit ad-
 fuisse consilia, ut meritō non protector tantūm,
 ut reliqui Christiani Orbis, verūm & conditor
 ipse audiret DEUS; neque profani tantūm alicu-
 jas regni exordia, sed Sacro-sanctæ Reipublicæ

fundamenta poni crederemus. In Constantino religione & gestis verè magno prælusit & victoriis, & Christianæ rei in dignitatem erigendæ crux somnis primū, tum antē exercitum, certissimum omen; Francorum nobilissimo regno prodigiosa victoria post facta superis vota jecit basin; at Hungarico solio, quæ, quantave sint præmissa cœlō portenta, procul invidiā, vix paucis est integrum expedire.

III. Geysa ab ultimo Hungarorum à Scythis egressu Dux quartus, post acta variō Marte prælia, sive inter privatas adhuc res, sive cæterorum Princeps, singulari Numinis beneficō, veræ religionis illectus dulcedine, quanquam antea cruentum circumferre gladium affuetus, ad Christianæ leges mansuetudinis ità totum se composuit, ut & suorum quâ benignitate, quâ vi, etiam exterorum auxiliis adjutâ flesceret animos, certissimus, si qua fata finant, omnem latè regionem Christo afferere. Verū sunt sua superis consilia, sunt & tempora, dum námque tam Divinis implet animum curis Geysa, à cœlo non tam impediti, quām extendi sua vota cognoscit ad Davidica planè vestigia; Ille siquidem quo minus habitaturo in terris DEO templum poneret, pollutis quanquam justō inimicorum sanguine manibus prohibuit, id solum meritus, ut & sumptus tantæ fabricæ præpararet, & filium relinquaret pacificum, purum sanguinis, opibus, & sapientiā post homines natos potentissimum, qui purissimes ad ponendam aram, feriendásque uni DEO victimas manus afferret. Utrumque obtigit Gey-

sæ,

se, cuius adhuc è manibus ibat vapor ad superos, neque videbatur superis, ut calentes inimicô sanguine manus pacificam cæderent victimam adductæ ad pietatem Hungariæ; meruit nihilominus insigni desideriô & maximis pro re Christiana conatibus hæredem, indole planè regium, à cæde ac injuriis alienissimum, qui patris vota redderet effectui. Qua super re nocte intempestâ sponsionem à superis accepit, & nè illudi sibi existimaret insomniis, aut præfagiis animi anhelantis, in oraculi testimonium excipit ad futurum proximè virum sanctissimum, æquè ac inferendæ gentibus Christi fidei ardentissimum, qui tingeret unà baptismali fonte filium, unà Divinæ religionis placitis institueret. En primum Hungaricæ felicitatis oraculum!

IV. Neque conjugi Saroltæ rem tantam voluit occultam DEUS, sive quia tenerior animus fulcrô indiget, sive quia adjutrices ad bona eonfilia viris adjungere amat heroinas; qualem Clodovæo Clotildem apud Francos, Agilulpho Theodelindam apud Gothos, Hermenegildo, & Patri Leo vigildo Ingundem apud Visigothos in Hispania. Saroltæ igitur ut majoribus Hungaria Christiana, ac regia oreretur prodigiis alter humana in carne Angelus sanctissimus Proto-Martyr Stephanus, quiescenti nocte, ac propediem parituræ adest; nè quid imprimis metuat, admonet, imò sibi gratuletur ac votis suis, nascituram enim illi sobolem, indole prorsus Divinâ, ejus protegendæ sibi curam fore; jubet insuper suo de nomine Stephanum dici oportere. En alte-

rum , quale præcursoris Domini olim erat prodigium !

V. Subinde natus , ac exactâ sub oculis , & manu Adalberti prima ætate Stephanus , is ex amissi Christianæ legis efformatur hæres , qui ad primam parentis orationem universô procerum , populique consensu , sed imprimis voluntate Numinis Hungaræ imperaret . Inter primas ab obitu pientissimi Patris curas erat tueri religionem , accitisque ad proferendum nomen Christianum viris sanctissimis propagare . Ivis sentique velis felicibus Hungaricæ , ac religionis , nisi complures , & nota gentis ferocia arcuisset , præsensque metus rerum novarum ab iis , quos pristinæ superstitionis obstinatio in transversum rapiebat . Horum facile Princeps Cupa , Simegienfis dynasta vehementiores Stephani ad fidem suscipiendam stimulos ferre deditiatus arma conclamat , initur prælium , & quanquam egregiis ducibus partes Principis sustinentibus dubium , donec positis Stephanus genibus superos in auxilium evocaret , nec diu desiderati cælites , ut ostenderent suis consiliis , auxiliis geri , & erigi rem Hungaricam , & Cupam , & plenam de Ethnicis dedere Stephano victoriam , ut abrasio obice totam latè religio inundaret Pannoniam , & in pace effloresceret . E tertium par Theodosiano prodigium !

VI. Victor beneficio redditurus gratiam , primum Divi Martini quondam è Pannoniis oriundi honoribus ædem instruit , privilegiis , cænobiō Ordinis Benedictini , & facultatibus amplissimis cum jure decimarum , ut etiam devictorum è pluribus

libus penderentur ; Romam deinde Africum donis onustum , & postulatis in decus , & incrementum Hungaricæ religionis mittit , ut more Christianorum Principum obedientiam , ac reverentiam deferret ; in tutelam Romanæ Ecclesiæ se , suosque commendaret , ut erectos à se Episcopatus , & Sacerdotum res sacras curantium Collegia juribus , & authoritate firmaret Antistes eō temporis rei Christianæ Sylvester II. Aliter saeum suo in Legato adfuit Romanas ad portas Stephanus , atque Hunnorum olim Rex Attila aut Trecis contra Lupum , aut Romæ contra Leonem imminebat , dum vindex iste scelerum , flagellum DEI , & metus Oribis cladem , ille de stratis DEI hostibus triumphum inferebat . Verum etiam eventu dispari redibant ; nam novum iterum prodigium , iidem cælites , qui Româ prohibebant Attilam , & si quid auderet , minabantur cladem , jam pro Stephano in urbe laborant contra corrvales . Illud hic observatu dignissimum , quod invasuri Gothi , Vandali , quemadmodum Alarius à genio nescio , quo urgeri se testabantur ad Romam evertendam , Attila se prohiberi sentiebat , turpe siquidem atque ingratum videbatur superis ab ea gente expilari tunc Romam , à qua deinde nomen Hungari acciperent regium , & coronam .

VII. Paraverat dictus Pontifex Micoslao Polono ad Christiana sacra recens converso , eoque nomine de tota gente sua præclarè merito coronam ; sed cœlô Judice Hungarus eripit non vi , sed superis imperantibus ; nam sive sanctitate Ste-

phani superante , sive occultō consiliō , nocte iterum , ut falsò jam criminemur noctem nihil moderabile suadentem , intervenit Angelus , ad futuros craftino . Principis ignotæ gentis (ignotam dixit , quia à DEO occultè in populum DEI & Ecclesiæ destinata fuit , & ad Regni dignitatem vocata non sciente Pontifice , neque adhuc quæ in ea siebant , publicâ authoritate gerebantur , aut publicâ professione obedientiæ) Legatos de rebus suis relatuos , quibus diadema regium cum titulo paratum det ad eorum Principem deferendum . In sequenti die felicibus sanè avibus adest **A**stricus , facit imperata Pontifex , postulata confirmat omnia , jus designandi Episcopos , & plena potestate vicarium dicit ; insuper datō diademate Regem creat , atque ut Ecclesiastici munieris exercendi collatam Regi potestatem firmaret , crucem argenteam Regi in processu tum publico , tum bellico (quemadmodūm Romanæ Aquilæ in crucem Constantinianam , ità Hunnicæ , quas ab Attila bello præferebant in Stephanæam felici metamorphosi transirent . Ità magnâ vestigia terrebat Hungarorum religio) præferendam donat , atque si contra superum consilia se quis tollere audeat , præ Catholicō , aut Christiassimo , titulum Regis Apostolici .

VIII. Tardiùs equidem nobilissimâ Francorum , aut Hispanorum gente ad religionis lucem oculos advertit Hungaria , sed prodigiis fortasse clarioribus , sive deinde ad pertundendam veteri superstitione duratam gentem , cædibus , ac rapienis innutritam efficaciore opus fuerit radiō , sive

firmioribus demerendam censuerit cœlum præsidis, quam constituerat Christiani nominis contra barbaros propugnaculum. Poterat certè tanti nominis prærogativæ reniti Italia toties olim aut exercitu deletō afficta, aut innumeis cædibus, atque rapinis ab Hunnis lacerata; poterat resistere Gallia suô quondam sanguine armis Hunicis inundata; meritò indignaretur Germania per Lehelum, & socios Duces usque ad Argentinam in cineres redacta, imprimis autem Austria, vicinique populi è recentibus adhuc bustis, & suorum sanguine fumantes, nisi pacem sperâissent à victis jam Divinâ lege Hungaris, & ad humanæ societatis jura revocatis amicitiam. Sudavit Attila, & alſit, totamque ætatem egit sub pellibus, ut qui fuerat metus Orbis, Rex effet occidentis, at sibi sua crudelitate obfuit, ut ostenderet cœlum moderationia consilia eventus habere feliciores; nimirūm erat Attila *Terrarum fatale malum, fulménque, quod omnes percuteret pariter populos, & fidus iniquum Gentibus.* Lucan. IO. Jaſtabat ſe metum Orbis, flagellum DEI, malleum mundi, ad cuius aspectum ſtellæ caderent, tellus tremeret; impulit etiam ad ruinam Romanam molem, Regnum tamen ſuum non firmavit, cùm clementia firmet imperia, diſſipet violentia. Quare Attila, qui vindicem DEI gladium circumtulit, ac gens Hunnorū, quæ tantō Duce erumpens exarsit in Gothos, eosque Gothos, qui Orosiō teste Alexandro vitandi, Auguſto declinandi videbantur, ex antiquis primū sedibvs, tum ex Pannonia expulit; ſed quia pugnabat in

Deum, quem non rectè cognoverat, ab Ostro-
Gothis, Longobardis, ac denique Francis in Scy-
thiam rejecta est, ut olim Christiani nominis au-
spiciis à cœlo Regni insignibus ornaretur.

C A P U T II.

*Regnum Hungariae religione feliciter
conservatum.*

I. **P**oste aquam omnium politioris Philosophiae
Magistrorum, quâ parte Ethnicos, & Chri-
stianos complectitur, numerus, imò teste Tullio,
omnis natio, quamvis immanitate barbara, DE-
UM aliquem adorandum persensit, adeoque
communi calculo insitam nobis à natura esse &
imaginem Numinis, & particulam divinitatis in
affectu reverentiae erga Divos, vox una & omnis
Politiorum, Regnorum basim constituit reli-
gionem, gentiumque exemplis persuasit ea de-
mù Regna fuisse felicia, quæ superstitioni am-
plius, quam aut humanis viribus, aut sapientiae
diu laboratæ consiliis tribuisset. Nam nè Hebræ-
orum genus usque ad pertinaciam aliquando
patriarum superstitionum retinentissimum; Ro-
manos, qui teste magnô Leone, dum toti do-
minabantur Orbi, omnium gentium serviebant
erroribus; Græcos atque in his Athenienses su-
perstitiosiores, ut eos Paulus indigitat, memoria
repetat; oculos intendere libeat in ipsum Chri-
stianæ Reipublicæ cursum, quando jam Romani
habenas imperii tenehant sanctissimi Principes
Christiani, Theodosii, Ottones, Caroli, Cæsa-
res undequaque magni; cum durâ cervice Si-
cam.

cambri subditō veritati collō imperabant Francis Clodovæi, Ludovici; aut apud Hispanos rerum potirentur Ferdinandi, septentrio Principes haberet Wenceslaos, Canutos, religionis columnæ, tum verò pulcherrima illa florebant imperia, eo quidem cum indicio, ut licet superi privatos quandoque etiam sanctissimos jacere permetterent, in Principibus religionis excellentiā singularibus beneficiis foverent. Ex adverso neglecta religio ruinam traherat Regnum, quod exempla darent quam plurima, nisi factura utramque paginam domesticis actis locum ciperent, cum tamen illud hic veniat operæ, ut Hungarorum imperium religione ortum, religione stetisse, splenduisse, illâ labante, aut obscuratâ concidisse planum fiat.

II. Stephanus è cœlo datus Hunnorum nominis in Christianorum catalogum afferendo, conservaturus sanctissimè cœpta, thura adolebat superis, ut parem suæ virtuti filium, ac ducem regno obtineret; sed quem religione meruit, religione cœlo hostiam transmisit, dum in ætate tenera nocturnis vigiliis, inædiâ, affectibus pietatis confessum amilisit, imò superi plus à gratia factum, quam à natura comparatum in gratiæ, gloriæque sedes rapuerunt. Emerico námque suo duces constituit, qui religione præstarent, ac subinde purpuratam gloriosò sanguine animam cœlo hostiam consecrarent. Adalbertus illi moderatorum Princeps, à civium nonnullis pietatis Christianæ odio, procul focus, ac penatibus suis submotus Hungaro Principi Christianam sanctitatem

tatem ad suos procuranti obtigit, exceptusque ab eo propensissimè, qui universum DEO regnum dicavit in sacrarium; colebatur hoc sanctitatis columen singulari reverentiâ, fovebatur dulcissimè, & ut viro DEI blandiretur suavius, filio dulcissimo Stephanus dedit eundem in magistrum, eaque quidem fiduciâ, & pactô, ut ille nihil ab hoc quam DEUM, ejus cultum, sacras ceræmonias diceretur. Addit huic Gerardum, ut fons iste Marianæ pietatis, à teneris instillaret saporem, quod par Mariano Regno Princeps nutritur. Ipse denique imperii, ac religionis propagandæ curis undequaque circumventus in primis tamen regiminis curis posuit, monitis hortari, dogmatis erudire, eadémque filii memoriæ, & usui tradere, suò potissimum exemplô, & hoc argumentô, ut Ecclesiæ facultatibus augeret, quod inde Reges & Cæsares Augustorum nomina maximè mererentur. Post hæc præcepta erant Stephani: frequentissimè invisere altaria, canticorum Ecclesiasticorum noctes diæque consuetudini interesse proximè ad modum cœnobitarum, cum his vitam agere, verba de Divinis facere, cæteraque illorum exercere munia, ut crederes non Regem populis, sed cœnobio præsidem efformari. Atque inde fas est credere, quod cælestibus inescatus deliciis adolefscens aut thalami jura non noverit, aut inviolatam thalamo sponsam reliquerit, spe fretus uberiorem fore ad successores Regni suam virginitatem, quam cæterorum matrimonia.

III. Atque hæc primum erat exercere in pacis
tran-

tranquillo, at in bellorum nubilo difficultior est
 cultus religionis; ita quidem res sit apud eos,
 qui magis vitia Martis, quam castra sequuntur,
 in Stephano negotium aliter obtinet, qui bel-
 lum religioni voluit famulari; geminò id belli
 ductu satis ostendit. Erat sanctissimo Regi avun-
 culus Gyula, Latio reponendus inter Julios, Tran-
 sylvaniæ Regulus, at Scythicis ceræmoniis perti-
 naciter imbutus, insuper eō titulō hostis cognato;
 hunc furor invasit, ut non modò monitis
 revocandum putaret Stephanum ad avitam ido-
 lolatriam, sed rapinis etiam, infestatione populi
 recens conversi ad indulgendum idololatriæ co-
 geret; at è voto Stephani, adeoque religionis
 bono accidit, cùm pro utroque pugnaret æther,
 nam irritatus barbarâ cognati feritate Rex pri-
 mūm tranquillitatis, pietatis ac obedientiæ ad-
 monet, sed connivente in ruinam Numine, ut
 felicius surgeret infelix, proficit nihil, ergò com-
 paratō exercitu hostiles terras ingressus Gyulam
 an præliō, an obsidione victum capit, conjugem
 unā, liberosque abducit, & in arcto collocat,
 ubi constantia pertinaciam, zelus furias, religio
 superstitionem domuit, attulitque libertatem
 geminam, civilem unam, Christianam alteram.
 Ita partâ jucundissimè victoriâ thesaurum è pro-
 vincia, ac expilata Hungaria comportatum aris
 addicit, ædem Albensem construit, in quam
 gemina ornamenta auro obryzo gravia, ut
 quodlibet 20. pondo premeret, obculit, eō pri-
 vilegiò, ut qui usus illis fuisset, potestatem ha-
 beret Regis coronandi. Sed his fortunatius illud,
 quod

quod toti Transylvaniæ sacra nostra aut imperi
rariit, aut persuaserit. Neque caruit lucro libe-
ralis erga superos animus, orto siquidem pro
limitibus Bulgarorum bellō, Ceam Ducem ob-
truncat, hostes dissipat, spolia tanto cumulo
colligit, consecratque templis Hungariæ, ut
nulla remaneret ædes, quæ vas aliquod Divinis
usibus servitum non acciperet.

IV. Periculosius alterum ursisset bellum Hun-
garos, nisi pro DEO pugnare Stephanus docui-
set. Henricò sanctō è terris ad sidera translatō
successit Conradus imperii, non virtutis hæres,
cui quia cum Pontifice non benè convenerat,
neque cum illis, qui Romano militarent, inter
quos jure equidem gratitudinis potentissima pa-
rabant arma Hungari, hos antea Henrici amicos,
nunc in pari pietatis causa omnia facturos, nec
dum limitibus suis egressos Conradus aggreditur.
Dolebat ea res Stephano, non belli metu, sed
ruinâ Hungarorum, ne à Christianis sui recens
Christiani bello infestati, nec pro religionis, nec
pro viciniæ legibus accepti, unius obnoxiam
veritate desciscerent; ergo fortissimam aciem
instruit apud superos, & quamquam nox nulla
diésque præterierit sine prolixa precatione, tum
tamen pro suo grege ardentissimè perorat. Ad-
erat dies aspectura prælium, quando tesserarius
è cœlo submissus castra Conradi percurrit, vi-
gilias, & præfectos admonet, ut omnes, unde
venerant, in Germaniam pedem referrent. Sin-
gulari prodigiō tessera valuit, ut collectis vasis
unus in castris Imperator remaneret. Hic exami-
natis

natis tesserariis Divina pro Stephano pugnare consilia deprehendit, ac nè quid pateretur deterritus, infectis rebus revertit. Deprehendit & Stephanus sua cœlo probari desideria, ergò ut amplius demereatur superos, & qui de vicino tunc hoste retulit nihil, de doméstico spolia cœlo obtulit.

V. Erant, qui furore idololatricō altius abrepti, suave jugum Christi ferre non poterant, & ut aliis acerbum redderent, in Principem arma sacrilega Duce Cupa Sūmegiensi corripiunt, verūm multorum criminum reos nefas in pejus egit, & Regi subjecit, quorum ille provinciam maximā parte Divo Martino consecrat, celebratum Benedictino Ordini Cænobium condit novā lege, ut in usus loci etiam prolium decimam colligerent; ut omni parte religio ex bellis caperet incrementum. Eratque id antiquum Hungariæ Regibus, victis hostibus, spolia tholis appendere, templa facultatibus amplificare, id Geysa II. de Saxonibus aliisque, & alii secuti Reges perfecerunt.

VI. Ab Avo ad Andream ex Ladislao Calvo nepotem transeamus. Is ejecto Petrō Alemaniō in Regnum ex Polonia, ubi cum fratribus exul agebat evocatus à proceribus, datâ parte Regni tertiat Belæ fratri, duas ipse feliciter gubernabat, idololatriam, quam initio imperii toleraverat, publico edicto vetat, impositâ omnibus necessitate orthodoxæ religionis tum popularibus, tum advenis, qui Hungariam essent infessuri; meruit certè tantâ religione frui gusto tranquili-

lœ pacis , nisi Henricus II. pulsi iterum Petri
 vindex ingentem terrâ, Danubioque devexisset
 exercitum , cinxisset arctissimâ obsidione Poso-
 nium , & duorum jam mensium arietatione fati-
 gasset. Rex urbis amittendæ periculô afflictus,
 quanquam & ipse traheret exercitum , plus ta-
 men spei collocavit in sanctitate , vota facit Deo,
 si præsenti discrimini opem ferat, erecturum se
 honori vindicis DEI sub auspiciis Divi Aniani
Aurelianensium Præfulis cum Cœnobio Basilicam.
 En è machina præsens in vota DEUS , obsecros
 constantiâ firmat, submittit virum natandi peri-
 tissimum , qui hærentes ad litora naves ingenti
 celeritate, quâ carinis parte vehuntur, suffudit,
 terebratas mergit, ità improviso periculo oc-
 cupatis miles ab urbe stragem infert, dissipatos
 longè submovet, & præsentissimam accipit li-
 bertatem. Andreas ipse è vespilio vota persol-
 vit , & in medio Balatone reportatae in aquis vi-
 ctoriæ monumentum ponit Abbatiam Tihaniensem , antiquissimo Ordin Benedictino

VII. Reparatoris Andreæ filius Salomon, sub-
 inde intestinô bellô infamis , actæ denique pœ-
 nitentiæ, & victæ vanitatis exemplar gloriosum;
 dum in cognatum pugnaret genus pro Regni
 diademate infelix abibat, & victus, ipsô victo-
 riâ cœlô in partes Ladislai impelleste, dum
 huic in auxilium mittebat Angelorum manum.
 Dum pro cœlo ferret arma, vincebat Salomon;
 Chunni siquidem gens inumanitate barbara, &
 Sacro-sanctis Hungarorum Mysteriis infestissima,
 coactâ ingenti multitudine , totam, quâ latè pa-
 tet,

tet, populatur Hungariam, agros diripit, & vastat, oppida incendit, urbes evertit, plebem nihil hostile audentem abigit in barbarem servitatem; aris profanatis evertit templa. Salomon adhuc Geysæ & Ladislao fratribus benignior, onustus prædâ insequitur, nec mirum, tantorum fratrum auxiliô cædit, proterit hostes, amicorum & subditorum multitudinem vindicat in libertatem.

VIII. Non multū dissimile exemplum est Ladislai alterius à Sancto, ex nimia Cumanorum consuetudine cognomento Cumanī, qui majorum Regum sanctis insistens vestigiis pro Rudolpho Habsburgico gentis augustissimæ parente vicerat Ottocarum, sed uti otium est seminarium turpitudinis, in vitia dissolutus, à suis illis, quos ad oblectamenta fovebat, Cumanis circumventus interiit. Vicerat hos ille primū Cumanos, dum acceptæ clavis memores, reddituri malum Hungarī grassabantur, iterūque attriverat diviniore prorsus ope, nam dum anceps diu seruebat pugna, ingens in ora Cumanorum imber ex improviso ingruit, hostes & tumultu desperatō, & ex aquis lubricō fallente vestigio fessos objicit, aut capiendos, aut obterendos. Prodigium hoc tantò fuit luculentius, & pro conservata religione Hungarica firmius, quanto insolentius est illi pro Divis pugnanti dare victoriam, qui postliminio in eosdem erat peccaturus, & ab iisdem hostibus interimendus.

IX. Afflatim ista ad Hungarorum religionem explicandam, at excellentius illud, quod his principiis

cipiis pararetur Hungaria, quæ in clypeum, imo
 propugnaculum assurgeret Christianæ Reipublicæ,
 quā parte gravissimos pateretur incursus. Quan-
 quam quid? ajo propugnaculum! gladius ipse,
 qui barbarorum capita feriret, peteret latus.
 Cujus quidem in acie duo constitire Reges, quo-
 rum fama iimplevit Orbem, felicitas Hungariam
 ad honoris apicem extulit. Andreas horum est
 unus ætate prior, cognomento Jerosolymita-
 nus, qualis, ut diceretur, fortitudine meruerat,
 Pater ejus Bella III. & suō in religionem studiō
 & Clementis Romani Antifititis authoritate par-
 tēm, partim stimulis excitatus in Saracenos arma
 decreverat, facturus etiam operam, nisi aut se-
 gni suā fortunā, att Venetis Dalmatiam repe-
 tentibus impeditus ultrà votum non processis-
 set, cui dum se obstringit morte præventus fi-
 lio è lectulo mortuali exolvendum sacro-sancte
 imperat; igitur post Emericum fratrem sīnè prole
 defunctum Rex acclamatus pacem domi atque
 cum finitimis componit, omne consilii robur,
 nervos omnes potentiae in Palestinam trajicit,
 denique ab Honorio Christianos Principes ad
 eandem fortitudinem excitante fit Princeps uni-
 versi belli, in quo Damiatam Syrorum urbem
 obsidione pressam, fame, pestisque exhaustam
 capit. Illud hīc eget in rem nostram animad-
 versione, quā firmatur, non propugnasse mo-
 dò, verū etiam protulisse Andream poten-
 tia religionis; princeps enim illi cura post vi-
 ctoriā, quam durato per inediā corpore
 promeruerat, Saracenam luem expurgare, Chri-
 stiana

stiana instaurare sacra , Episcopis , sacrorum va-
sis ac supellec̄tili providere , ut palam ficeret
non suis commodis , sed Ecclesiæ incremento
se bellare .

X. Excellens hoc religionis studium ingenti-
bus præmiis , & auxiliis cumulavit remunerator ,
& proborum consiliorum adjutor DEUS , dum
ex omnibus Orbis Christiani regionibus , ut an-
tea Stephano pro fundanda apud Hungaros re-
Christianæ , ita nunc Andreæ pro recuperanda
redemptoris patria submisit heroas , qui inge-
niō , nervō , manibus optima consilia sustine-
rent ; Horum gloriosis manibus , cùm nomina
invidenter ætas , beatam requiem , & loca læta
precari supererat . At Laurentii Amadei nobilis-
simæ prosapiæ apud Hungaros conditoris me-
minisse victrix de tempore fama , & florens ia-
seris nepotibus virtus imperat . Illustrissima A-
madeorum propago ab eadem , primum est cre-
dere , orta arbore (è qua nobilis ille fructus ,
Virginis Deiparæ apud Italos encomias etiam
scriptis libris dulcissimus in Beatorum numerum
translatus fuit) originem traxit ex Bogomero
de genere Gutkelech ; quanquam vero agno-
men ipsum aliquid soni Hungarici imitatur , quid
si ex primis Hunnis in Italiā stirpem transla-
tam affirmet , quod confirmare videtur tam
prompta & liberalis Laurentii Amadei ex vetu-
sta Romanorum Consulū progenie oriundi in
Andream Regem observantia , & fides , ut con-
ductis ære proprio centum equitibus ei se co-
mitem dederit iu Palestinam . Nec illud est abs-

que momento, quod reducto è Palestina exēsit & Laurentiō, reliquis sociis discedentibus adeò huic Hungari, eorumque mores compluerint, ut inter eos consisteret, & Rex probatā tum in bello operā, tum in remanendo industriā Varkoniensis districtū perpetuum Dominum dixerit cum jure nobilium. Ab anno igitur 1220 à Laurentio dicto prosapia in frondes splendidissimas, Hungariæque utilissimas excravit; nam præter Paulum Præfulem Csanadiensem, Benedictum Dominicanī Ordinis illustre decus, præter cognationes cum florentissimi Hungariæ prosapiis, dedit viros togā, sagóque clarissimos, & togā quidem Petrum Amadeum regno Palatinum, Regibus Wenceslao, Ottoni, Carolo, Roberto ministrum charissimum, bellō pariter clarissimum; Bartholomaeum Carolo pincernarum Magistrum; Ludovico I. Nicolaum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Banum; Omodæum denique cognomentō Nigrum Comitem de Lendva, quod cognomentum à toleratis hyeme frigoribus, æstate urentibus in campo inter arma solibus reportaverit Bellō clariiores fuere Nicolaus Belæ IV. contra Tartaros Dux, a quibus gloriosè in prælio cecidit pro patria Rolandus sub Ladislao IV. Jacobus sub Ludovico I. Antonius sub Sigismundo, Joannes post Antonii ad Nicopolim cæsi fata sub eodem Rege ac Alberto, & Ladislao posthumo, Matthæus sub Matthias Corvino, Petrus denique sub Ladislao & Ludovico II. cui eommortuus in communione, omnes belliduces ætate suâ præstantili-

fimi. Nutante post cladem Hungariā, Georgius Ferdinandum I. & Maximilianum, Franciscus Rudolphum, Leonardus Matthiam, & Ferdinandum II. Joannes Ferdinandum III. & Leopoldum magnum secuti semper Hungariæ Regno, & in hoc regnanti Austriacæ domui indulsâ fide conjuncti, quorum exhausta pro patria, & Rege pericula, gesta fortia, obitos honores brevis hæc pagina non capit, recenseri dignissima ingenti volumine pro memoria patrum, & exemplo posteriorū. Illustris pariter Palastiorū de Felső Palást stirps in hanc expeditionē claritatis suæ initia refert. Nam Rex Andreas Palastium præclarè gestis hōc bellō rebus jam egregiè nobilitatum in equestrem gradum sustulit ipso in monte Thabor, ubi Christus, ut signatis hac de re literis Rex ait, transfiguratus est.

XI. In Carolo religionis præmia acceperunt Hungari; dissidebant ut in elezione libera fieri contingit, in Rege advocando: & prævaluit factio altera vice, quæ modò Wenceslaum, deinde Ottoneum regno intulit, eā quidem intentione, ut nemo unus etiam Romanus Pontifex autoritatem creandi habere videretur, viderunt denique non è commodo patriæ fuisse contraivisse, tandem reverentiâ summi præfusilis admiserunt Carolum in Regem, & en ingenitem unà felicitatem, nam triginta annos summa pace fruiti, externa bella facile superarunt, imperii fines Carolo Rege in Poloniā, Siciliāq; propagarunt.

XII. Ludovicus hac pietate vix ulli secundus,

qui cùm quadraginta annos plena paece domi flo-
 ruisset, apud exteris bella perennia continuatis
 victoriis gessisset, quidquid à negotiis belli, pa-
 sisque supereret temporis, id facris misteriis,
 precandi studio ac etiam macerando per inediā
 corpori impendit, tantumque sui apud Hunga-
 ros reliquit desiderium, ut consensu ordinum
 omnium, universo regno triennalis luctus fuerit
 imperatus, etiam nuptiis in annos subsequentes
 prorogatis, raro sanè judiciō, & post sanctissi-
 mum Ladislaum nemini secundō. Hujus mil-
 tarem fortitudinem, senatoriam sapientiam at-
 tollunt plurimi, felicitatem mirantur plerique,
 potiorem tamen aut laudandi materiam, aut
 causas felicium eventorum nemo æquiū assi-
 gnaverit, quām qui supputatō calculō depe-
 hendit, eum sub hoc Rege fuisse pietatis cul-
 tum, & in Divos, Divūmque homines propen-
 sionem, ut his pars facultatum regni tertia fuerit
 vestigialis. Hæc tanta, ut profaniores dicere
 audent, profusio, semen fuit victiarum, & ac-
 ceſſionis regnorum, ut idem Rex evocatus sponte
 Poloniā, sanguine ac virtute promeritum gu-
 bernaret Neapolis regnum. Accessit & cauſa,
 quæ non nisi à religiosissimo Principe potuit pro-
 ficiſci. Imminebat cā tempestate Orientis Impē-
 ſio fatale genus Mahometani, ad opem Græci
 ferendam rogabantur omnes, & imprimis Lu-
 dovicus, qui vicinior effet, & inter finitimo
 facile potentissimus; altō tegebat omnia silentio
 metebat moras, nec obstinati animi causas da-
 bat, importunitate tandem vixtus, cā conditione
 pepi

pepigit sedus, ut si cum Christiana Republica, ejusque supremo capite, damnato schismate in gratiam rediverit. Tanti tamen momenti rem, cum posset, non perfecit, an Græcorum scelere tam præsentem opem prohibente, an fatô superum tantam in animos inertiam permittente. Et erat occultus quispiam obex, ut Græci à Latinis defensi toties denique opprimerentur; ut enim exteros Ludovicos, Godefredos, Tancredos, Balduinos aut in ævum non profecisse, aut irritis pugnâsse sit intra silentium, tres fortissimi Hungaria Reges nequidquam audebant, nam adscriptus aris Ladislaus in ipso procinctu diem obiit supremum, Andreas etiam victor coactus reverti, Ludovicus iste induci non potuit, ut ad conterendos barbaros se se conferret; est nimirum series fatorum, sunt occulta rectoris mundi consilia, utinam nostris vitiis in clades non irritata.

XIII. Habet hactenus Hungaria potentis religionis insignia trophea, habet gloriam, quod in Saracenos daret belliduces; unum violatæ religionis exemplum, damnatis cætera scribendum fastis addere liceat ad terrorem; cuius meminisse quantum dolor prohibet, tantum imperat Divorum religio. Mortuo Albertô II Rege, de Ducibus Lithuaniae, Rex Hungariae eligitur Ladislaus, omni genere laudum apprime cumulatus, victiarum Duce Joanne Corvino administrat omnia feliciter, ut felicitas ipsa metum incusserit deteriorum; nam ab obsidione Tauruni Amurathem rejicit primum captis multis, cæsisq;

iterum cædit cum 30000. reliquâ multitudine
 fusâ, fugatâque, denique captô ad Thraciæ, &
 Macedoniæ fines Carambajô Asiæ præfecto Amu-
 rathem cogit ad pacis conditiones, sive potius
 fluctuante hæreditariô Poloniæ regnô, & Fride-
 ricô Cæsare bellum fortasse intentante cogitur,
 assentiente etiam Cardinali legatô Julianô Cæsa-
 rinô; induciæ his pactis coaluere, ut Amurathes
 totâ decederet Serviâ abductis arcium præsidiis,
 Despotæ regionis suas opes redderet, abstineret
 Moldaviâ injuriisque ultrò inferendis, retineret
 sibi decennalibus induciis Bulgariam. Firmatæ
 sunt utrinque sacramentô, ab Amurathe ad
 Alcoranum, à Rege ad evangelia dictô, aucturus
 iste Sacramenti fidem Eucharistici Numinis præ-
 sentiâ, nisi Gregorius Sanoceus intercessisset. Pa-
 ñta improbabant plurimi, multi etiam non re-
 stè facta ingerere, nodumque quærere in scirpo,
 viisque omnibus persuadere continuandum bel-
 lum; neque erat id arduum juveni victoriis elato,
 atque ad belli fructus exorreto. Legatus de-
 nique Pontificius proclivem impulit, hic enim à
 Francisco Cardinali, qui Hellesponti litora inse-
 derat, acceptis de Amurathis fortuna in pejus
 ruente literis, tum rei bene gerendæ spe suc-
 census, tum pudore præcipitis pacis suffusus in
 frequenti procerum senatu pacem, neque restè
 factam, quia cum jurato hoste nullâ necessitate
 imperatam, neque fervatô ordine, quia incon-
 sultâ Republieâ Christianâ, cum qua priùs ineun-
 dum fœdus, quam cum acerbissimo tyranno,
 affirmat vehementius. — Nec admodum dissen-
 tire

tre visus Juliano Hunniades, qui promissum ha-
buerat sibi Bulgariæ regnum partâ victoriâ. Po-
loni ex adverso per legatos admonebant, nihil
fortunæ ludenti cedendum, barbaris etiam ser-
vandam fidem, quando illi starent fœderibus,
multò magis coelo, quô vade pax inita fuisset.
Multò verò maximè adversatur Dracula, qui
Transalpinæ præfecturâ fungens multas cum Asia-
ticis habuit actiones, obtestatur Regem, jam in
arma progressum, & oppida capientem obse-
crat, demum sibi sequiùs ominanti nihil con-
cedi videns, è suis quater mille viros expertos
Turcarum, duos insuper addit validissimos ju-
venes viarum gnaros, qui, si quid, ut me-
tuebat, pejus eveniret, expeditissimis equis pro-
fugum servarent Regem. Ità jam urgentibus
fatis Rex ad Varnam Bulgariæ oppidum confidet,
Hunniades dispositis in ordinem militibus, Asia-
ticas copias primô impetu profligat, tum Rege
monitô, ut se cum robore exercitus contine-
ret, & tum integris viribus aggredieretur hostes.
Si suorum manus ante victoriam fatigaretur; an-
tecedit iterum, atque Europeum Amurathis ro-
bur jam propè attriverat, cum æmolorum in-
vidia, & juvenilis ardor extremam Regi calamiti-
atem consciscit; erant siquidem, qui Corvi-
num suæ unius gloriæ velificantem criminaren-
tur, Regem inde ignavum spectatorem fore at-
que contemnendum. Tantis ergò concitatus stimu-
lis adolescens descendit inconsulto Hunniade
in arenam, & ubi fortissimus erat hostis, præ-
torianas cohortes aggreditur: quæ tamen &

ipsæ Hungarorum impetu inclinaverant; cùn Amurathes fidem Divūm, hominūmque obtestari, Christi Numen ipsum affirri, utrūm pateretur pāctam ad Sacro-sancta Evangelia fidem violari? Quā obtestatione, an militum animos terror invaserit, pugnam non priore fortunā prosequitur Rex, nam ducis & militis munia fortiter explens equō deturbatur, capite truncatur, ac inde eonto præfixum totā latē Græciā, Asiāque in signum victoriæ, sed magis ad terrorem sacerdotum circumfertur, ut discant homines juratam per Numina non temerare fidem. Ceciderant eō præliō Varadinensis, & Agrienfis Episcopi, Cardinalis Cæsarinus, an ab hostibus, an à suis, ut consilium esset consultori pessimum, non liquet, obtritus. Quia verò non sempér unius crimen omnes luunt, clades ea Christianorum non ultra 5000 absumpsit, Turcarum verò 30000, adeò cruenta Amurathi, ut causam rogatus, cur nulla daret signa lætitiae, responderit: nolle se eō modō saepius vincere. Ità mitigat DEUS acerba prosperis, & quando unius premit imprudentiam, non intendit cladem populorum; nam superfuit & Hunniades in novas Amurathi clades, & in Christiani propugnaculi defensionem.

C A P U T III.

*Quibus in Hungaria præsidiiis fuerit
firmata religio?*

I. **P**Lurima sunt, quæ ad Christianam religiōnem conservandam conducere possint, quis

quis enim Divorum consilia, quæ infinitâ collo-
cant acie, brevi numerô absolvat, at humana
mens procul ab illis projecta consiliis, quæ tueri
possit, aut successisse deprehenderit, libenter
constituit. Neque parvis concluso terminis est
animus, aut libertas vagari per infinita; brevi-
bus ergò mens est constringere momentis non-
nulla præsidia religionis. Mira sanè videbitur
nonnullis repetita tot paginis religio, at cessa-
verit admiratio, quandocunque in animum ve-
nerit totam Reipublicæ Hungaricæ molem in
unica religionis basi constitisse, feceritque histo-
riarum periculum, quarum seu sacros, seu pro-
fanos texat catalogos, primam semper fecisse
vidit religionis structuram. Imò, Divi me ju-
vent, durissimum videbitur, eam modò gen-
tem, quæ tota fuit Romanæ Sedis, ab istius ho-
stibus lacerari. Gentem, quæ florente religione
floruit, & si Inchoffero placeat, non alteri se-
cunda; gentem, quæ ubi primùm veri DEI or-
nata altaribus, magistros tulit, quos emeritis
domi pietatis stipendiis, Doctores miserit Orbi
peregrino, duxitque Divinas planè colonias:
gentem & quis invideat pietati? cui illa tot
ædium sacrarum ingenti contentione fecerat ho-
nores; gentem, quæ ubi avitâ religione vivit,
vivit etiam integrâ sanctitate. Adde dolor la-
chrymas, at ubi! exhorresce, dehisce anime!
ubi barbarorum oppressa jugo, ubi malefici-
torum accepit coripheos, aspexit hæreses, heu!
discerpta est, nunquam veteri parem gloriae pro-
jecit umbram, nunquam assecuta fortitudinem,

vix posteris antiquitatis fidem fecit, vix Regibus pro veteri potentia obsequium. Huc opem pietas! huc potestatem Majestas gentem tot amplissimis divitem familiis, tot maximis claram heroibus, tot Principibus verè Augustis erige, ut ad vetustatis honorem, ad vitam pro dignitate, & magnō ingeniō excolendam longiores faveant superi, atque quae discordiā, religionis situ traxit ruinam, fide integrā, fortitudine constantiāque recipiat dignitatem!

II. Heu, heu! me semper atterit in domestica facie historia populorum, imò paribus initii mala sequentia. Plena est Græcorum fides post Arianam, Macedonianam, Eutychianam hæresim cladibus, post Ariana dissidia Latinorum calamitate plena historia, ex Africanorum busis & turpitudine post Mahometem horror est; imò Anglia, Germaniāque sanctitatis Christianæ domicilia, quām acerbo funeri pedem intulerant! Abiit cum pulcherrimis è marmore, atque ære structis operibus in sepulchra sanctitas, pro tritæ ceræmoniæ, aræ profanatæ, eò tandem barbaræ populationis deuentum, ut cognatō sanguine maderent omnia, & qui cum incredibili maiestate Romani sceptrum gerebant imperii, Domui Austriacæ hæreditarium pene, reliquerunt imperium, quia ad has pene & Bavariæ angustias redegerunt pietatem, in qua cogente cœlō & terris profundissimas figeret radices.

III. Eandem Hungaria faciem induit, paribus agitata tumultibus, eò tamen singularis DEI prvidentiæ argumento: ut dum maximâ sui parte

tyran-

tyrannum pateretur, nunquam tamen profanarum opinionum ita fuit oppressa caligine, ut aliqua, & plerumque nobiliori parte non aspicere lumen veritatis. Quod beneficium obtinuisse à DEO non aliō intercessore unquam adducar credere, quam sanctissimā DEI Parente, quam hæredem acceperat, immo tutricem. Et sanè fuit ea Hungariæ laus & felicitas, ut sive Regum sanctissimorum, ac vigilantissimorum industriā factum sit, sive Numinis protectione nulla olim ad scindendam religionem rima patuerit, audiri tamen etiam à posteris cum antiquitatis gloriâ, cum dolore præsentium cladi acerbissimō hanc acclamationem: *Hungaria regnum illud plane catholicissimum! sed en pomum illud aureum non sine scoria hæreticæ pravitatis.* Nimirum inter turbida bellorum, inter licentiam morum eò defluxit, ut repente sibi dissimile extulerit caput, anteà sanctitatis radiis splendidum, nunc hæreticorum serpentium spiritus horridum. Sed ipse horret animus nōsse aut originem, aut causas mali, ea magis arrident, quæ primi Reges ad evelendarum idololatriam, vel postremi ad absterrendos novarum opinionum fabros constituerunt. Et quidem de primo abundè dictum esse videtur in Stephano, & Andrea primis, in Bela, qui reluctantes demum idololatras, novásque capitū suo struentes insidias communi clade delevit, de posteriore tum erit dicendi locus, postquam ea, quæ ad amplissimum Romanæ, ac veræ religionis cultum facta sunt, brevi calamō fuerint expedita.

IV. Posteaquam Divis immortalibus extra fortunæ casum positis, aut felicioribus, quam terrena sint, gaudiis gratiam facere, est velle injuriam, tam siquidem vilia sunt nostra præ illorum deliciis; ut attamen eorum in nos merita gratitudine contestetur humana mortalitas, modum ab eorum inspiratione invenit, gratiam se futuram existimans, si consecratis cœlo rebus, hominib[us]que favorem præstiterit; hinc splendissimi, & de superis optimè meriti habentur, qui magnifica Divorum honoribus templa, ampla Divinis cultibus addictorum hominum ædificia construxerunt; qui opes profuderunt in peregrinos ad aras, & sacra loca Divorum, hos immunitatibus foverunt, eductis hospitiis exceperunt, & ad Divina confugientibus criminum poenas, aut veniā, aut lenitate donarunt. In hoc magnificentiæ & pietatis cultu ad memoriam sæculorum excelluere Reges, imò plerique proceres Hungariæ, quorum & genus, & opes maximas, & structas cœlo basilicas heu edax tempus & temporum fatalia mala absumperunt! Ad has olim ingenti concursu affluxere populi, ut penè omnium Europæ gentium fuerint receptacula, invenitque domicilium extra patriam, quicunque virtuti excolendæ animum addixit; huc turbatis Scotiæ rebus confugere sanctissimæ virgines, ut quarum olim cognatæ obtinuere ab Hungis martyrii laureolam, illæ apud Hungaros haberent pietatis gymnasia.

V. Imprimis verò sanctitatis Patres, ac protectores ipse constituit Stephanus, erexit Ecclesiæ,

fias, dotavit latifundiis, & ne pietatem suam Hungariæ circumscriberet limitibus, Romæ, & Jerosolymis præsertim erexit templa, domosque, ut invisuri ad terram sanctam, vel Apostolorum limina Hungari, haberent ubi hospitiō recipi- rentur, neque locorum incommodis, aut ege- state ternerentur, quò minus proprios patriæ redderent cœli indigetes. Jam intra fines Hun- gariaæ ercta pietatis domicilia, aut singulorum referre conditores volumina foret velle compiliare; illud imprimis prætereundum non videtur, quod piâ hâc munificentâ Reges suos æmulati sint Ecclesiastici & Politici proceres; deinde al- terum compendiosæ notitiæ servit, quod sola Hungaria (non numeratis Dalmaticis, aut vici- norum regnum sacris Cœnobiis, ac dignitati- bus) quæ longitudine 60. millaria æquâ latitu- dine complectitur, in periodo 240. quadrata denique 4200. hoc tamen angustô ambitu nume- ravit Episcopatus decem, collegia Canonicorum quatuordecim, conventus Ecclesiasticorum de- nos, Præposituras tres, & octoginta, Abbatias duas ultra centum, Conventus, Monasteria. Prioratus ducentos septuaginta; in quorum non, nullis eâ copiâ dicati DEO viri, fæminæque ser- viebant, ut continuatas plenô, quod ajunt, cho- rô, nocte diéque superum laudes decantarent; nunc, ineat numerum, cui vacat, quantum his fundatorum beneficentia profudit sumptuum, quantumque benefica manus in quotidianos usus adjecit beneficiorum.

VI. Imò de præsulum redditibus faciendo ser-

monem, si Agriensis Episcopus centum aureorum millia parati capiebat æris, quod quarto- genitum Regis educandum haberet, quantum reliquis in universum erat proventuum, qui & fundandis Cœnobiis habebant affatum, & deducendis bellō militibus ærarium impendebant, ut soli Prælati octona, & amplius perpetuis quasi bellorum cursibus præstarent millia militum, & dignitatem statū comitatu tantō attollebant, ut Ferdinandi Regis legatus Herbersteinus miraretur, diceretque mirum fuisse, quā pompā, quō apparatu, quibus equitum utriusque armaturæ copiis Budam præminentibus tubicinibus ad cujusdam quasi triumphi speciem ingrederentur. Porro cùm in regiam irent, tantō deditorum, ac stipatorum comitatu septi undique incedebant, ut vici, & plateæ vix caperent. Ad hæc adjunge, quantâ profusione apud exteros Principes, quod quidem magnificentissimè præstabant, legationes obibant, quid in clientelas profuderint. Atque hujus magnitudinem inde conjicere licet, quod vicinarum Regionum, qui modò magnificè vivunt, Ecclesiarum Rectores, eorundem decessores Prælatis Hungariæ pompā concesserint.

VII. Quanta verò hinc Ecclesiastici ordini dignitas erat atque majestas, latius infra ex impositis illi muneribus erit memorandum, in præsenti satis fuerit adscribere, quibus decretis hujus dignitatis viros religionis ornârint studiō, quibus exemplis edicta Reges eorum temporum firmaverint, ut sancta omni ex parte esset religio.

San-

Sanctus enim verò Regni conditor primò deere-
torum ad Emericum datorum libro religionis ab
exordio necessitatem ità proponit: ad Regiam
dignitatem neminem ascendere posse, nisi Ca-
tholicum; eidem semper, atque in omnibus re-
rum eventibus primas esse dandas, & si Regiam
filius dignitatem honestare vellet, id religione
servatâ, fartis, tectisque sacris dogmatibus fa-
cturum; nec aliter Ecclesiæ dicendum filium,
quod quidem dignissimum esset agnomen, quām
ilius observantiâ. Jubet subinde inhærere do-
gmati de incomprehensibili Trinitatis mysterio,
in Athanasiano symbolo comprehensis, quorum
aliquid, qui minuere, vel mutare contenderint,
tanquam hæresiarcharum servos esse tractandos,
nec unquam nutriendos aut defendendos esse;
quia novellæ in Hungaria Ecclesiæ infidias strue-
rent, ac ruinam. Ulterius præcipit e m custo-
diri debere cauissimis custodibus, ob idque post
fidei dignitatem, Ecclesiam debere considere.
Tertiô mox locô Ecclesiasticæ dignitatis viros,
eorum ætate grandiores tuendos ut pupillam
oculi, illorum benevolentia intimè devinctâ ni-
hil timoris à cæteris superesse. Illorū in ordine,
ac sanctitate regium ornari solium, eō quidem
eventu, ut eō conservatō glriosam regni in
sublime elatus sit coronam. Jam in adversa-
rios DEI, & religionis quām acti, ac severo ful-
mine detonat; qui domum DEI, & possessiones
DEO consecratas inhonestè tractârit, vel infrin-
gere ausus fuerit, tanquam invasor, & violator
domus DEI, & à proborum communione sejun-
gatur;

gatur, qui verò insanus improbō ausu, aut importunis consiliis Regem à recto proposito avertere tentaverit, nullisque remediis mitigari potuerit, licet (en quantum res humanæ fuerunt Stephano infra religionem!) obsequiis aliquibus, & transitoriis sit necessarius, abscondendus omnino & ad phrasim Divinorum librorum, tanquam pes, manus, vel oculus scandalizans. Deinde luculentius in observantiam ordinis sacri excitans addit: *Res Ecclesiasticas providentes secundum sacros Canones suspiciendi sunt à laicis etiam militibus, & judicibus, quod nomen summis provinciarum Præsidibus erat commune, & quidem ex intentione ad pietatem directâ, ut nimirum eis obedientiam in rebus sacris, in regendis Ecclesiis, in orphanis defendendis præstent.*

VIII. Pœnas etiam transgressoribus decernit: nam qui neglectâ Christianarum legum observatione in rem Christianam quid commiserit, juxta criminis gravitatem, ad regulam sacrorum Canonum judicetur, si resistat, vel abnuat regali judicio scilicet defensori (en antiquum illud protectoris pulcherrimum decus Romani Cæsaris, & induitum longè postea apud Anglos nomen quanto zelô successoribus suis adscripsit Stephanus) Christianitati tradatur. Nec minoribus in Ecclesiæ monarchia viris suam deesse passus est providentiam; nam Parochis Ecclesiam decem villæ ædificant, cum dote duarum mansionum, duorum mancipiorum, equō & jumentō, sex bobus, duabus vaccis, triginta quatuor bestiis minutioribus; vestimenta, & coopertoria provideri à

Rege,

Rege, Parochum ipsum, & libros ei ad res Divinas explanandas ab Episcopis imperavit. Neque ordini tantum, sed locis etiam DEO consecratis quantam reverentiam! planè ad mentem Romanæ Sedis: diebus festis omnem interdicit laborem, sub indubitata pœna, aut amittendi, quibus laborarit, instrumenta, aut cute redimenti; omnes ad sacras ædes convenire præter custodes ignium, & domorum. In ipsis adeò templis moderationem, adeò ut qui confabulatione lectionem sacram interturbaverit, si majoris esse authoritatis hominem contingeret, exigendum, si de plebe, ligandum, atque flagellandum esse decernat.

IX. Eadem pari religione confirmavit Ladislaus, qui vetustate collapsas, vel temporum injuriis profanatas Ecclesias à parochianis jubet restaurari, à se vasis, & apparatu in sacros usus adornandas. Addit speciales pœnas dierum sanctorum violatoribus, ut Judæus opus exercens profanum, aut servile, amittat instrumenta, Christianus mercatu Missam negligens equô careat; quod civile quidem negotium at à curis sacratiōribus admodum alienans animum, adeò vetitum voluit, ut contrà ausus quinquaginta quinque pensis multetur; qui jejunia aut sepulturæ ritus neglexerit, dies duodenos *pane solo* & aquâ contentus cippô includatur; qui ad Ecclesiam venire ob dissitam habitationem non potuerint, unum communī nomine mittant, qui tres panes, unāmque è cera candelam ad altare deferat; qui res Ecclesiarum abductas ven-

ditio-

ditione ab alienaverit, vel per incuriam amiserit,
de suo in triplum restituat. Ut Ecclesiarum res
 ubique deprehensæ restituuntur, imò villani de-
 fertores ad proprias compellantur; neque do-
 natas uni res Ecclesiæ fas fuerit ad aliam dona-
 tione transferre. Eadem Colomannus pro pie-
 tate, licet aliàs monstrosus animô pariter, & cor-
 pore à multis traducatur; singularia verò hæc
 sanxit: *Ut dos Ecclesiarum & syloæ inconuisa
 maneant, ut nemo vendat festō, secùs quadruplum
 restituat, paenque personali subjaceat, quā si liber
 sit, tres dies pœnitendō agat, si seruos, plagiis in
 corpore septenis multetur.* Eadem sæculō quintō
 Matthias Corvinus, qui etiam nundinas vetuit
 festō celebrari. Sed de hoc plura sunt affèrenda.

X. Princeps hic, Rex, *icit ait Herbersteinus,*
non natus, sed factus Bonfinii conjecturis ad Ita-
licum genus relatus, & si animi magnitudinem,
felicésque regendi artes intueti libet, nihilō in-
ferior ejus gentis Principibus, maximè verò, si
pro Romanæ Sedis dignitate studium aspece-
mus, suppar iisdem, cuius antequam facta pro
religione proponantur, dicta, & sancta hic pro-
ducere sit integrum. Graffabantur latè per Ger-
 maniam Hussitæ, hæreticorum natio, atque im-
 primis Bohemiam miserrimè lacerarunt, unde
 cùm arderet Ucalegon, horrere poterat Hun-
 garia, nisi Matthiam fortissimum æquè, ac reli-
 giosissimum Principem superi providissent. Hu-
 jus ergò ætate clanculariè, ut ferè solet hoc te-
 nebrosum vulgus, irrepererat intra montium ab-
 strusiora, & quia ignoti feliciter delituerunt,

auda-

audaciam successui addidere, ut etiam à Rege
 prædicandi dogmatis haberent potestatem. Ab
 hoc dum liberam auram petunt suō infortuniō,
 novum se evangelium afferre prodiderunt; au-
 ditō novitatis vocabulō sagacissimus Princeps,
 & quòd nepotes essent sanctissimi scilicet viri, &
 Evangelistæ Hieronymi Pragensis & Joannis Hus-
 sii; promptè intulit: ergò novam vos religio-
 nem in meum regnum inducere venistis, & qui-
 dem adversantem illi, quam haec tenus à conver-
 sione sua coluit, & à Stephano antecessore meo
 accepit? ergò adversatur illi, quam Catholica
 Ecclesia per totum Orbem profitetur? quòd si
 ita res habet, nolo populum meū à vobis se-
 duci, & perverti. Mox ad proceres, videa-
 mus, si hoc semen novum, sit etiam bonum?
 tum ante Budensem urbem novos Evangelistas
 cum libris terræ vivos infodi mandat adjectō
 epiphonemate: si bonum est, fructum gemina-
 bit, si malum recte sepelietur, ne populi lœdat
 sanitatem. Et sanè propagari non potuit, cùm
 conjugati hi Apostoli cum conjugibus, & liberis
 computruerint. Utinam tam feliciter conditi
 anseris cænam adiisset maturius Martinus apo-
 stata! ad nihil prorsus utilis, quām ad religiosissi-
 simorum Regum, & procerum pietatem ostendam,
 qui cum Ludovico II. hanc legem san-
 xerunt; Lutherani omnes de regno extirpentur,
 & ubique reperti fuerint, non solum per Eccle-
 siasticas, verū etiam per seculares personas libere
 capiantur, & comburantur. Decretum hoc fa-
 ctum est duabus post annis, quām unanimi to-
 tius

tius Regni consensu postulatum fuisset: Ut omnes Lutheranos & illorum fratores, ac factionem illorum adharentes tanquam publicos hereticos, hostesque sacratissima Virginis Mariæ, pœnâ capitum & ablatione omnium bonorum suorum, Majestas Reginæ, inquam Catholicus Princeps punire dignatur. Quid autem subesse potuit causæ extendi tantum malum? nimirum, quia decretum priorum temporum infidelitatis notam inscribuntur, quicunque publico, ac ab Ecclesia Romana, cuius est unius veritatem à falso, lucem à tenebris discernere damnato dogmati adharent.

XI Neque factis minùs, quam dictis alienos à vera religione infectati sunt Hungari Reges, & ne perennia contra Mahometanos bella commemorare, quos innatō, & exitiali odio horrendes, ut nonnulli cum Cæsarino hoc argumento evincere conarentur, Uladislauum pepigisse fœdus non posse, & quæ clades advenerit, inconsulta juventuti ferendum in acceptis; præterea, si quid abominandum atque trux exprimere vellet, satis fuit Turcæ comparasse. Stephanus in Conradum summæ sedi non obedientem bellum parat, atque ut memini, cœlō favente sine profusione sanguinis ad pacem cogit. Ludovicus I. Signifer Ecclesiæ cognominatus, Dux bello sacrō dictus, schismaticos adeò felici domuit eventu, ut religio in dies in Bosnia effloresceret. Judæos cum omni contentione ad Christiana sacra alliceret, urgeret, nequc hilō amplius proficeret, totam exegit Hungariā, & mercabantur, cum occisi Tyrnaviæ adolescentis po-

rea perpetratum scelus, antea sine dubio non omiserint; quanquam ludicram ejus facti causam dixerint, quod ad eos ordo pervenerit Christianum sanguinem ministrandi pro communis Iudeorum purgatione. Partes Innocentii VI. & Urbani V. contra Bernabonem Mediolanensem vice-comitem suscipit, & vix ostensò martis signo ad amicas pacis oleas compellit. Rogatus ab Urbanis duobus & Gregorio XI. ad opem ferendam Palæologo, orientali schismati adhaerenti, Rasciis item, ac Bulgaris, nullis adduci potuit, quamvis ingenti postea Hungariæ malo, machinis, ut inimicis Ecclesiæ opem ferret, considererit sanè mutuis casuorū cladibus.

XII. Eodem stratagemate usus Sigismundus Ludovici gener, qui recepto per obedientiam publicam Rochesanā, ac sociis reliquis, qui paesci nollent, contra Turcas mittit; & pluribus pugnis multos Turcarum deleverunt non sine suorum occidione, qui seu vincerent, seu vincerentur, semper vincebat Sigismundus, dum Barbarorum clade hostes, hæreticorum funeribus domuit perduelles. Et hoc fuit ferè compendium victiarum Sigismundi, qui protector, promotörque Constantiensis concilii contra Hussitas, eorum damnationi suffragatus fuit etiam bellis aliquot motis; at infeliciter, cuius causam ex moralium magistro facile est assequi dicente, virtutes cæteras sine castioniæ comitatu ad fortitudinis laudem vix pertingere, & ex Flori Hungarici historia subjungere liceat. Eum Barbaræ uxori in adulterio sœpius deprehensa facilem igno-

ignovisse, ne ut Florus afferit, sua plecteret vita in uxore; & memoriam sacerdorum observatum accepimus. continentes Imperatores plerumque & fortis fuisse, ac felices; nam praeter Scipiones, Baldwinus Ierosolymorum Regnum obtinuit, equitemque cum equo secuit medios, quia dextra viri fortissimi impuris amplexibus nunquam fuit enervata.

XIII. Feliori marte explicuit signa Rex Corvinus in omnes quidem inimicos, sed cum primis in Bohemos, quā quidem tunc merebantur, hæreticā labē sordidatos, unde illi accrevēre tituli, ut Rex Bohemiæ, Marchio Moraviæ diceretur. Hic è Viennensi Pragam in custodiam missus, Podiebragio tum in anteacta vita, tum auditâ electione sui in Regem adeò complacuit, ut in filium adoptaretur; at quæ humanæ vicissitudinis mala sunt & Nemesis ultio justissima, in hostem abire coactus est. Georgius enim hær si foedatus, nec à pertinacia exorabilis, Romani Pontificis anathema incurrit eā infelicitate, ut subditi obedientiæ vinculo solverentur, ipse hostis à Pontifice, à Cæsare renunciaretur; utsique Matthiam seu militari gloriâ suâ tempestate fortissimum, seu vicini periculi tactum metu adhortationibus ac largitione in bellum deligunt, bellique Ducem. Matthias aut bellicæ gloriæ cupidus, aut summo antistiti, Patrique Friderico obsecuiurus bellum suscipit sæpè ingratus gener & filius, sæpè Pontificis satelles per convitum vocatus, maluit facta audire convitia & verum hærefoeos crimen probrare socero, quām in religionem, & pie-

etatem filii Romanæ Matri peccare, dum parceret inimico. Et quanquam, ut memini, à multis gloriæ & felicitati suæ velificare diceretur, opere tamen aliud ostendit, nam Victorinum Georgii filium bellō captum (cujus acerbâ fortunâ Pater in mortem præcipitatus est) ubique regali pompâ habitum postliminio remisit eâ conditione, ut ab insana hæresi mentem revoçans DEUM coleret, ejusque religionem, nullis plane pœctus foederibus. Quod quām difficulter gloriæ studia admisissent unde patuere consilia, patuit felicitas, dum hæreticum domuit, Moraviam, & reliquias provincias ab hæresi liberavit, sive dum Joannem Speratum Olomucium carcere conclusit, sive dum Ignavienses ab insania Hussitica extremi interminatione suppliciū deterruit.

C A P U T IV.

Hungaria Regnum singularibus ab ortu delatum tutelaribus.

I. **Q**uanquam ars optima commiserit aheneos muros, imò nativa indoles compagem struxerit corporum, neutram tamen æternam esse impetraveris, si cura exterior, & continua solicitude non protexerit, agit in hæc æther, agit & hostis, & ipsa tempora, peritura certè, nisi vigil oculus ac industria manus opem tulerit. Placuit omni ævō Romanorum providentia, qui rectè constitutæ civitatis adorabant authores, cœtra tamen horum injuriam credebant eligi conservatores urbis summa cum dignitate, qui sar-

tam testamque servarent Romam, providerentque, ne quid ipsa detrimenti caperet Respublica. Jam si verum est axioma Philosophiae, iisdem nutritri optimè humanas res, quibus à principiis ortum trahunt. Si consonum & alterum, quod præter nativam soli ubertatem felix cœlum requirunt fruges, imò ingenia, planè consecutum est, ut posteaquam bonis compagibus stræta est publicæ rei fabrica, felici subinde cœlestium influxu foveatur, defendatur. Quanquam enim maxima sit mortalium industria, fluxæ tamen sunt, & fugaces curæ, ut perenni merito cœlestium opus habeant ope, & oculo; eapropter Sulmonensis ubi poëticæ admiscuit Ethicam, Trojanæ urbi custodem laudat Appollinem cum prælata Jūnoni Palladique Venere; Romæ præponit Jovem Capitolinum, Athenis cum noctua Mineram, singulorum ad ingenium, ut quibus tangentur studiis, aut dignitate, eorum præfides obtinerent. Ità bellō nati educatique Germani veteres suum Herculem, ità Hunni pro bellico genio Herculēmque Martēmque colebant.

II. Imò si Respublicæ, ac civitates quosdam à Regibus potentiores ad tuendas res suas jure clientelæ adsciverant, quorum autoritate, metu, armis denique hostes arcerentur, quis prohibeat è vero potentisque Divorum senatu, quorum nutu stant regna, caduntque diligere unum aliquem, aut plures, quorum fidei, & potentia consecrarent homines aras, & focos. Et quanquam consilium istud perparum apud eos momenti habeat, qui vel otiosos in humana lucra damnave-

superos, dormitantésque contendunt, vel etiam
humanæ industriæ supra modum tribuunt, atta-
men meliora sentientibus omnino probari de-
prehenditur. En Venetorum aspice tot jam sæ-
cula in pelagus dominium, quibus auspiciis con-
stitit? annuâ illi solennitate mare suum suæ for-
tunæ obarrhant, non quâ Numen inesse ferant
pelago, sed superos terræ, marisque dominos
reddere satagunt propitios. Antiquior est Ja-
cobi Nisibeni, quām ut interire memoria pos-
sit, qui Persarum exercitum vivus objecit exa-
mini culicum intolerabili, post fata suam defen-
dit urbem ad hostium desperationem.

III. Hungarica, de cuius nunc tutoribus, Res-
publica suum à superis ortum duxit, à quibus
Regem, & regnum obtinuit majestatem, ità ex-
polita est primi Regis industriâ, ut non alibi ma-
jorem poneret fiduciam, quām obstrictis in suam
salutem superis; & si alia, tum istud potuit ad-
dere Stephano argumentum: superstitione Majores
in suis idololatriæ tenebris, inanes, & impo-
tes observârunt Deos, & eorum nomine arma,
præliaque conclamârunt, Zeutam, Zamolxin,
Martémque vociferantes, quanto feliciore fatô
Christianis adscripti sacris invocabunt Hungari
illos, quorum nutu conjurati venient in classica
ve ti.

IV. Tantis ergò accensus ignibus, novisque
auctus ab accepto regni titulo auspiciis ampli-
ora regno providit præsidia, nam Virginis Regi-
næ Regum, cuius industriâ, & maternâ soliciu-
dine in spem humani generis educatus olim fue-

rat Christianæ rei Architectus, conceptō von
 commisit regnum universum, sive Virginis id
 etum fuerit è machina se Stephano communicat
 is, quod excellentius est ad memoriae commen
 dationem, sive S. Præsulis Gerardi curā in cult
 Mariano adulti, ac in Hungaros hyperdulian
 transfundentis, quod credere pronissimum si
 posteaquam tanti magistri disciplinā imbutus p
 mam universæ Hungariæ basilicam condidit
 in qua Reges darentur regno, & cœlo, quod ad
 mirabili structura erectum opus, fieret voti mo
 numentum, & fiduciæ Hungariæ refugium, in
 quo legeretur semper in manibus collocatas eli
 tes Hungaricas Matris Domini dominantium, &
 Dominæ Hungarorum. Singularem certè hun
 titulum sive virginei reverentia nominis, sive in
 signum immancipati regni assumptum ita pro
 prium suis voluit, ut aliud non admitteret.
 Quod quidem esset in modestiæ laudem Di
 Regi concedendum, nisi melliflui Doctoris in al
 ud promoveret authoritas, qui è filiorum qua
 educatus in dolo, Mariam cogitare, eandem in
 vocare frequentissimè hortaretur, neque talis e
 Divinæ Parentis majestas, quæ non potius ac
 mittat se Matrem, & Mariam, quam Regina arge
 dici, istud omnis Angelorum, & hominum or
 fatis attollit, illud ipsa dulcissimè audit. Pr
 fanum hic existimo uti Ethnicorum exempli in e
 qui circumventi periculis Deos maris, & tem
 suis nominibus inclamabant. Sui tamen cultu
 quam observantissimi ad posteros transmisit & af
 dicia, dum iconem S. Regis communem, & Vpieta

gini non aliam facile repereris, quām ubi de genibus Regnum cum insignibus Virgini consecratur.

V. Neque nominari modò à suis identidem volebat, at etiam coli ut Dominam jubebat obsequiis; Albensem certè Virginis ædem, aliásque complures eō privilegiō insignivit, ut in ea dies, atque noctes pateret janua, perpetuóq; canentium ordine DEI laudes resonarent, nihil enim majestatis indicio magis, quām perpetuos habere ab obsequiis: in illa perpetuis alebat stipe-
nidiis egenorum vulgus, quos etiam titulō vir-
gineæ militiæ decoravit. Advertere à sacris ad
militaria, ad politica signa, ad ornamenta No-
bilium præsertim matronarum licuerit oculos.
Militaria primū labara, quæ vetustō ritu aquila sublimè ferebant, à mutata religione, ut Con-
stantiniana crucibus, ità Stephanea Marianis vul-
tibus fulgurabant, verè vinci nesciā acie castro-
rum. In civili contubernio privatorum ædes,
Principum palatia sacras in propylæis offerebant
Virginis icones, hæ in pectorum fidem, & stipu-
lationum veniebant, hæ scriptorum instrumenta
protegebant: signatum æs omne, aurum, atque
argentum Dominæ in solio confidentis, manūq;
sceptrum regale ferentis imaginem referebat;
hujus de nomine dicti menses, imò dies plurimi
in ejusdem honorem consecrati. Quanquam
verò sacrorum dierum frequentiam asperius non-
nullorum ingenium in desidiæ solatium reponat,
& asylum, benignior tamen animus, & plurima
& pietatis exempla Hungaros vindicant, quibus

etra periculum asseritur sua in Virginem pietate singularis.

VI. Nihil minus à magno Stephano processu in hac arena Ladislaus, Princeps religionis sanctitate, militari fortitudine, æquitatis laude, & gloriâ, inter maximos Principes numeratus: hic ille, si vera ferunt fasti, quanquam profano cipiā militi, ut indecorum, teneriorisque, ac Martem deceat, fortasse videatur studii, canentes prælia classicō, Marianā brachium involvebat corollā, scutum muniebat, ut quam virgines, & matronæ innectebant collo in virginēi mancipatūs ornementum, ipse felicius, atque gorgone territurus hostes, tanquam aureis in suas partes compedibus victoriam tracturus, insignisque prodibat, Torquatus verè Marianus. Regna demum sua etiam Croatiam, & Dalmatiam à Branimiro illorum quondam Rege Virginī dedicata, sive innuptus, sive celebratis, at intactā conjugi, sive cœlō non daturō parem Parenti sobolem hæreditis expers, hæredi suæ transcripsit Mariæ, & ne tantæ rei nepotes ullos caperet oblivio quod prius liberum, piūmque fuit Hungarisi, Sacro-sanctum esse voluit, ut æs omne referre Virginem in solio, sceptrūmque tenentem, quo tribus apicibus distinctum Hungariam, & memorata Regna signaret. Regna profecto eò felicissima, ut licet eā tempestate libera, Reginam tamen hæreditariæ subessent, quā præstantiorem è cœlo deligere non invenirent.

VII. Atque hæc è veritate historiæ accepimus id verè communī quidem, ac pervetustā opinione.

one fertur, vix firmô tamen argumentô: Hungaros tam pulchritudine servitutis aliud hodie dum præferre indicium, ideoque capita tonsos circumire; ut testarentur, quemadmodum crucis ignominiam consecratione Christi Corporis a surrexisse in gloriam, ita nobilis hanc servitutis notam, rasam videlicet capitum cæsariem abiisse in ornamenta clientum. Quæ radendi capitum consuetudo proverbiô ipsô latè indecora, & peregrinis hodie barbara gentibus, constanti foret retinenda studiô, si à tam singulari consilio ortum duceret, tam, ne cum moribus antiquaretur pietas, quâm ne fœderatam hōc signo subtrahat opem Domina, sperni impatiens, potens tueri. Nihilominus nec mos ille attondendi adeò perennis, ut non sæpius intercederit, neque si quando ætatem traxit, hac pietate civitatem obtinuit, sed è causis, ob quas licet omnino, conveniretque potius ab eo quâm oxyssimè discedere. Atque quod imprimis non fuerit perennis, docent vetustæ Regum imagines, quæ plenâ vultus cæsarie circumfusos describunt, utque priscos omittere brevitas admonet, ita Romana Matthiæ Corvini erecta in campo Floræ, quamvis militari specie, cæsariem exhibet, ita & in Neostadiensis arcis, ibiq; in templi tholo equestris exhibet statua, quam cum victor ipse imposuerit, vix credere licet, ut aliam à consueta formam indui, atque ad posterorum oculos fallendos potius voluerit collocari; neque fidem facit, alium, ac Hungari

gari, fuisse morem sectatum, qui & antiquitatem coluit, & pietatis indicia non neglexit.

VIII. Jam quod eadem consuetudo aliis à cau-
sis traxerit originem, triplex exemplum suppe-
tit. **Vetusissimum** refert Bonfinius: postquam
Petrus auxiliō Henrici in Hungariæ solium repo-
situs permisceret omnia, & tyranni magis, atque
Regis personam sustineret, plerique tædiō sce-
lerum fracti jugum excutere, Regnō pellere,
multi etiam in profanos ritus relabi, ab indu-
cta recens religione defectionem parare. His
Ducem Vatha se obtulit, oppidō Belō natus,
clientelis potens, gentilitate ferox, barbaras
projicit leges: diruendas basilicas, diripiendas
sacerorum opes, Christiana Mysteria profanaanda,
obtruncandos Sacerdotes, peregrinam gentem
omnem, aut cædendam, aut pellendam, Scy-
thicas ceræmonias, & Deos recipiendos, tyran-
num trucidandum; quisquis contra sanctiones
has dixerit, feceritve, capitalem fore: & ne-
tantō tumultu incerta raperetur plebs, amicūm-
que pro hoste vexaret, partium suarum hanc
velut tessera deductam scribit Historicus: *Caput
Scythico more rasit, quō nunc more Turca utun-
tur.* E quibus verbis in præsentem rem facit;
imprimis morem radendi Scythicum fuisse, &
ante acceptam religionis sanctitatem populari-
ter usurpatum, subinde dimissa superstitionum
barbarie, comam demississe; alterum, Christianis
Hungaris capita tonsa non fuisse, quale enim
signum rasi à raso rasum circumuire; denique ne-
que Bonfinii ætas Hungaros vidi attonfos, quid
enim

enim recurreret ad morem Turcarum, si idem
in oculis omnium domesticus floreret, neque
fert historia, utrosque & Turcas, & Hungaros
fuisse tonsos, at ratione diversa, tum ex antea
memorato Mattheia, tum quia signum illud non
futurum fuisse aptum inconditæ plebi, furore
bellicô concitatæ, neque tempori, quod divi-
nare, aut vestigare non sinebat, vertice, an oc-
cipite solo prodirent capilli.

IX. Alterum exemplum referre placet è Bon-
finio, & Petro de Réva, de Ladislao IV. Cu-
mano cognomento. Princeps iste cætera laude
fortitudinis non postremus, nisi, quod sapien-
tissimo mortaliū, eidem contigisset, adulte-
rinis Cumanarum mulierum usque ad insaniam
amoribus indulsisset; præterquam enim quòd
inter eorum greges robur animi attriverit, eti-
am religionis periculum adiisse, quanquam sub-
obscure scribitur, eā tamen parte, quā profanis
Numinibus suos honores permiserit, neutquam
absolvendus; ut non immerito post amicas Car-
dinalis Firmani adhortationes, tandem jubente
Pontifice, consentiente purpuratorum senatu,
anathematis notam legatus idem Firmanus in-
uferit Hungaris, prolixas barbas interdixerit,
Cumanorum usum pileorum inhibuerit, & ut
ctines sonderent, imperaverit. Ex quibus lau-
datus antea Coronæ custos concludit Hungaris
usum fuisse radendi capitis, sed propter nefariam
cum Cumanis societatem Regis cæsariem
nutrivisse, quam hoc eventu rescindere impe-
ratum fuisse ad exemplum Annonis legatos Da-

vidis decalvantis , aut quô pactô subsecutis temporibus in gratiam Casimiri è Cœnobio ad imperium evocati decreta fuit tonsura Polonis; quod quidem pœnæ genus quanquam imponi potuisse nemini dubium sit , eam ipsam tamen ultra Ladislai tempora non durâsse certius est, cùm facies Hungariæ novo cum Rege ad imperium Christianæ sanctitatis transiverit. Illud tamen non omittendum videtur; quomodo Cumani genus æquè Scythicum , & à religione, immò à Christianorum Hungarorum moribus abhorrens comam aluerit, præter Scythurum consuetudinem : Qua quidem in re admodum exigua tricari non libet; libet ultimum afferre exemplum , an potius argumentum. Quoniam ante ultima fatalia illa tempora , quæ clades Turcas gemuerunt, ea forma capitis non fuerit Hungaricæ , fuerit verò temporis accessu , rectè colligere licet , ob maximam Regni partem tyrannidi illi subiectam , primum fuisse etiam in externas assuetudines potentiorum demigrâsse , neque id submissionis , sed subjectionis fuit argumentum; quæ quidem omnes causæ , qua vi in frontis formam aut pugnant , aut deserviant , non indiget interpretatione.

X. Nunc autem ad **testimonia Mariani cultus reflectamus**, inter quæ non mediocria sunt illa, quod cœnobia , quibus Præpositi, aut Abbates iurâ dabant, ultra quinquagenarium numerantur, quæ sub titulo tantæ Dominæ singulari impendio convivebant, ut dicata templo, & aras vicis penè omnibus conticescam , aut ordinem utrumq;

& me-

& melliflui Magistri sequacem, & sanctissimi Patriarchæ Dominici sestantem, virginæ Parenti singulariter addictum. Neque tanta despexit obsequia Virgo Parens, quin abundantiore profudit corau genus omne gratiarum, ut in hoc terrarum tractu sua solatia collocasse visa fuerit, adeò, ut undique colles, fontes, sacraria, cænobia Marianis beneficiis diffluxisse viderentur. Quanquam autem aras veteres, illuvie hæresum, barbarorum immanitate eversas, populationibus obtritas, vehementius doleat melior Hungaria, tanto tamen dolori solatum aliquod posuisse videtur amplissimæ familiæ Princeps Cœlissimus Paulus ab Estoras, ut vetustiora omittam, belliducibus avis sub primo Rege clarissimus; ille felicissimæ prosapiæ ad summa Dux pro sua quidem insigni pietate, pro incredibili in Dominam Hungarorum studio, pro eorundem dulci memoria per vestigavit undique gratiarum aras, & æri fecit incidi, ut quacunque demum arte Patrum apud Hungaros amorem in Virginem revocaret. Neque satis illi fuit intra vestibula patriæ animare facundiam, eandem in vicina Metropoli Austræ provocavit ad laudes annuas, imò quotidianas exstructis altaribus. Thaumaturgam denique Cellensem eximia liberalitate prosecutus, ne ab Hungaris illi deessent ornamenta, à quibus maximè originem accepit.

XI. Cellensis Virginis icon sua mole vix cubitalis, miraculorum gloriâ totam diffusa per Europam, ut suavissimô Matris pyrum, Filioli pomum offerentis situ decora, ità gratiarum verè

thronus, parvis olim initii lapideæ aræ impo-
 sita, subinde Divi Wenceslai promulgatione
 cognita, restituta Henrico Moraviæ Marchioni
 sanitate inclarescens è facello templum meruit,
 ac populorum accusum uberi fructu renume-
 rata, in vicinam Styriæ Hungariam facillimè fa-
 mam promovit. Hujus Rex Ludovicus quamvis
 cætera militari gloriâ longè, latèque celeberri-
 mus, attamen Divorum in viætricia signa vocan-
 dorum imprimis studiosus, ingentem ab Asia per
 Hellespontum, & Thraciam, eumq; penè impro-
 visum inaudierat fremitum, nam Amurathes do-
 mitâ felicibus armis Thraciâ Hungariam, quæ
 sibi restitura videbatur, non tam aggredi, quâm
 inundare contendit eâ quidem festinatione, quæ
 ad belli fortunam momenti plurimum persæpe
 attulit, ut vix viginti millia militum sub sua Rex
 signa cogere posset, quâ manu coactus potius,
 quâm audens obviam ire decernit, nec tamen
 sinè Numine Divûm, nam expiatis Christianâ pie-
 tate animis totam belli aleam Thaumaturgæ ar-
 dentissimis votis comendat, etiam gratam me-
 moriâ, si hostē repelleret, pollicitus. Nec omne
 caruit pietas, Virgo Cellensis dormienti se obji-
 cit, certam ex hostibus victoriam spondet. Et
 erat somnus ille prodronus diei illustrissimi,
 nam consertâ manu, latissimam in hoste stragem
 edidit, fundit, fugatque; ejecitô jam, ac spoliatô
 hoste universas ipse copias ad victoriæ Ducem
 Mariam deducit; ensem imprimis, & calcaria suæ
 fortitudinis instrumenta, tum Coronam argen-
 team aurô, ac gemmis distinctam vertici viætrici,
 palu-

paludamentum Regium tholo imponit. Sed hæc præsenti favori satis erant, non intimo, nam si-
ve è spoliis, seu sumptu regio, magnificum, quod
hodie Reginæ Cœlorum regiam sustinet, tem-
plum erigit victoriæ simul, & pietatis geminæ
monumentum, alterius, quâ Virgo supplices
ante se fovit filios; alterius, quâ filialem Hun-
gari affectum testareatur. Jam si quid amplius
arcane sanctitatis præ Cellensi foveat Lauretana
Domus; illius certè ad Hungariam gratiæ perti-
nent, quæ in Dalmatiam, Coronæ postea Hun-
garicæ provinciam Coloniam duxerat, ut nihil
præterea esset luculentius, quod Marianos in
Hungariam favores demonstraret. Mutuus iste
Virginis, & Hungarorum amor tantùm valuit,
ut Leopoldus bellô, pacéque magnus Cæsar ve-
teri Austriacorum cultui latrico hyperduliam ad-
deret, quâ prisorum Hungariæ Regum affectum
imitatus, & provincias novâ Sacramentô suc-
centuriaret in militiam Virginis, & victorias ob-
tineret à Virgine, quia ipsis pervigiliis, aut fe-
stis Marianis.

XII. Antequam ad postrema de memoria tan-
tæ Dominæ fiat gradus, non licet Belæ IV. Re-
gis undeaque præstantissimi, si felicitas forti-
tudini esset foederata, non meminisse; electus
ille æquitatis patrocinium suscipit, pacis cum fi-
nitimis studiosissimus, miserorum penè dixerim
asylum: nam ejectos à Tartaris Cumanos, hu-
manissimè recipit, latissimis terris donat, omni-
que benevolentiae genere complectitur eō po-
tissimum consilio, ut ab idolorum cultu ad veri-

Numinis agnitionem perducat. Quinquennio altâ pace omnia fluebant lenissimè , dum Tartari Cumanos in Hungaria ulturi , advenas unâ , terrâ inque hospitalem miserrimè vastant , viâ etiam Rege , pulsóque in Dalmatiam , unde redux Fridericum Austriæ Ducem injuriarum in fuga sibi illatarum memor , justæ vindictæ hostiū cædit. Iterum bellô appetitus ab Ottocaro , iterum profugus pacem coluit , ac pro ingenita probitate , quòd Regnum non universum tantis cladibus deletum fuerit , regiō sumptu sanctissimæ Parenti Strigoniense templum erigit præsentissimæ in tantis periculis auxiliatri , sub cuius denique præsidium suos in eadem cineres consecravit æde.

XIII. Novissimi modò favores Virginis tantæ memoriæ calatum vendicant , ut dum Majores nostri tantis auspiciis gloriantur , nobis illudi non possit esse derelictis. Böözensis imago Virginis , dum translata Viennam cultum populorum innumeris gratiis demeretur , satis ostendit , quibus Orbis ab oris ortum ducat , quantisque clauerit prodigiis , ac beneficiis in solo patrio , dum his abundat in peregrino. Bööz est pagus Hungariæ superioris , ubi lachrymas fudit Mater dolorum , a gaudiorum ; cujus ut memoriam habeant posteri , hic placuit adscribere & illud , quòd similis Viennensi in eodem relictâ pago , & lachrymis fuit insignis , & novorum icon prodigiorum. Una ex his lachrymis oboriri solet quæstio , quare , cùm veteres plurima de laudibus , ac prodigiis Virginis historiæ referant , rara ferè ,

ferè, quantum quidem animus meminit, lachrymarum etiam peregrinis in oris; una est Hungaria, quæ lachrymis illius etiam sanguineis irrigatur. Nam Böözensis ista diebus plurimis, Monostoriensis, Jaurinensis, & Tyrnaviensis in Cathedralibus ambæ, ut missas faciam, quarum fides tenuius per vulgata; imò superior annus è Bereghiensi superioris Hungariæ provincia de simili prodigo non inanem admodum rumorem divulgavit, cujus fidem non augeo, antequam eorum, quorum interest authoritas, non accedat.

XIV. Hujus prodigii non adeò prouum est causas scrutari, quis enim Divinorum signorum agat interpretem? prouum tamen est humanò, atque fortasse iudiciò non rectè consciò in eam labi sententiam, ut acerbiùs aliquid, quam experiri vellet, ominetur. Quidquid nihilominus pendeat ab arbitrio superum de futuris eventibus, si tamen ad præterita, atque circumstantia oculos divertamus, ex ipso rerum cursu conjecture liceat has lachrymas dolore simul, & amore temperari, quod Regnum verè Apostolicum, Marianum, verè pium, ac sanctum, hæresum labi pollutum fuerit, cujus afficta religio, & pietas grandem fecerit hiatum, quod desertores priscae, ac sanctissimæ fidei tot laboribus, & signis ad antiquam veritatem reduci non velint, eorumque consuetudine etiam sanctæ religionis pars transversum si non prouersus aguntur, à fervore deficere se patientur, & dum in cæteris omnibus exterorum exempla imitari sunt faciles, difficiles pietatem. Gui malo dies, atque

noctes paratur remedium, nescire est tamen, quô sequiore fatô iniquè operam fructu consequente. Et istud generat causas dolori, ab amore tamen virgineo eas elicit lachrymas, quòd maternis illa affectibus tristem hæreditatis casum indoleat, suspiretque auxilia pro salute. Sed ista sunt graviora, neque ætatis illorum quinque sæculorum, quorum nunc mores proponuntur, neque brevi dissertatione finienda, idcirco ad ulteriora transeundum.

C A P U T V.

Collata divinitus Corona omen fuit singularis DEI erga Hungaros providentia.

I. **S**unt sua Divis pacta cum hominibus, non nunquam enim Majorum virtus hanc amicitiam emeruit, alias cœlites ipsi communem his, aliquibus non expectatam arcani jure consilii deligunt providentiam: cuius beneficii planè singularis tesseram persæpè, arrhámve donant, quâ se devinciunt ad tutelam, mortalibus verò ipsis luculentum dant omen spei meliorum. Educto per quadraginta annorum ambages Israëli ex durissimo Ægypti mancipatu, arcam imperavit plenam mirabilium, in qua recondidit Aarons virgam, prodiosum de contritis hostibus tropheum, mannae reliquias, Paternæ vigilantiæ testes, & decalogi tabulas grati obsequii, & nisi liberatorem, largitorémque bonorum omnium pro officio colerent, vindictæ exactrices. Et valuit arca non raro ad Hebræos in officio continen-

tinendos, frequentius ad hostes atterendos, semper ad prodigia facta cum majoribus recolenda, ad spem auxilii divini excitandam. Illâ præsente corruit idolum Azotiorum, & hæsit truncus Dagon, conspectâ illâ pessimè afficti sunt Accaronitæ, ne quid afferam de maleficiatis Hebræis. Quòd si factis veteribus nova, externis domestica, Divinis profana liceat conferre: Dardanis suum erat Palladium, cum quo aut Regni staret majestas, aut cum erepto urgentibus fatis emigraret in Italiam tanti unâ portenti, novique Regni bajulô Æneâ. Quid aliud fuit ancile Numæ deferri ab alto, nisi protegendum cœlitus portendi imperium? quid hasta Quirini conservata, nisi mucro ad perrumpendos hostium cuneos, & index ad proferendam latè dominationem. Ideo certè se stitit in somno, & in aëte Constantino pro exercitu signum redempti Orbis, ut quemadmodum universum Homo DEUS tartarum subjugavit, itâ contereret sacer Imperator paganos, & Arianos, utrosque certè Romani nominis hostes crudelissimos. Stitit se benignior in Theodosium æther, quòd pro illo militaret, dum conjuratos misit in classica ventos, obruturósque adversas acies. Hungarorum antea nihil de cœlis natio meruerat, nisi quòd ultorem scelerum circumvulit gladium, hæbet nihilominus Divinæ propensionis illustre argumentum, quô palam haberet curam sui esse superis, animosque caperet tanto nomini pro viribus respondere. Crux certè Hungarico delata Regi non modicum haberet omnis,

nis, at quia humanō missam esse consiliō contendere quis posset, nihil me modō moratur; divinioris aliquid ominis habet Corona, quæ trīpli argumento Apostolica est, imprimis, quia Apostolorum ornata imaginibus, deinde, quia à Sede Apostolica, denique, quia missa ad Regem Apostolum. Imò Angelica est; quia cœlestium spirituum internunciō Hungaris tradita; sacra insuper, nam neque profanō Hæreticorum, aut gentilium capite polluta, & domi, forisque in religiosa semper habita veneratione. Denique ne Divinam dixeris, satis est dixisse Marianam, quia cum universo latè Regno sanctissimæ Virginis transcripta clientelæ.

II. Apud Hungaros imprimis proximè superstitionem venerationis exstant indicia, unius viri principis utar exemplō: erat is Nicolaus Gara uti vetustâ nobilitate, & animi magnitudine præstans, ità bellō, pacēque gestis muneribus spectatissimus, nam foris desciscentem à Ludovici Regis fide Vaivodam Transalpinæ Lacum, jam nonnullis victoriis elatum præliō viet, fudit, & in extremam rejecit Valachiam, Bulgariam singulari prudentiâ paci restituit, præsidiō firmavit, Myfos, Dacósque in fide, & officio retinuit. Subinde Principe post Regiam Palatini dignitate auctus Elisabetham Ludovici viudam, filiāmque Mariam præsentissimō consiliō juvit, donec seditiosā Joannis Bani turmā obrutus nihil hostile cogitans mortem oppeteret pulcherrimam, & quia pro Rege Maria, & quia sagittarum segetem unō pectore exceptit, non casu-

easurus vel mille sagittis, nisi cæde fatigatus hostium cuneō subverteretur. Iste, inquam, Heros, quanquam superstitionis videatur cipiā, certè ad commendandam coronati capitatis maiestatem dixit; quanquam eadem sententiam Petrus de Réva, Michaëli Ország viro propriâ virtute ad summa post Regem officia eluctato adscribat: coronatum sacro diademate Regem, vel si bellua foret, nunquam sine magno scelere lædi posse. Nec minus fecit, atque dixerat, nam coronatam ob beneficia Parentis optimi filiam strenuè defendit, neque indignum putavit aliās cædis fugitans consentire in necem intrusi ab adversa factione Regis, quando nullum esse putavit Regem, qui legitimè coronatā Reginā, nec morte, nec scelere Regnō dejectā, imperium capessiverit.

III. Luculentius est alterum observantiae argumentum à sanctissimo Principe Ladislao desumptum; sublatō è vivis Stephanō Regni conditore quatuor jam tenuerant Regni habenas variis casibus, quia diversis tum domesticorum, tum exterorum auxiliis; dum tandem Salomon Andreæ filius quinquennis antea coronatus, dein sublatō Belā mitissimi ingenii Principe, sollii lapsu conquassatō, pace restitutā, legibúsq; firmata de patria optimè meritō, auxiliis Henrici IV. Imperatoris iterum coronatus, denique proceribus tum ob acerbū illius regimen alienis, tum ob virtutes, ac grandiorē ætatem inclinatis in Geysam, istō tamen charitate, & amore pacis juri suo cedente tertium, ac spe-

spēctō omīne Quīnque - Ecclesiis p̄r̄ēter mōrem
diadēmatē insīgniri voluit, tenebātq̄e de Bessis
& Græcis vīctor, adjectō simul Hungariæ Tau-
rūnō florens imperium; at sive suō amittendi
sceptri metu, sive sceleratō Vidi consiliō æsti-
mantis, vivente, ac vidente corrivali non posse
securum stare imperium, mortem seniori fratti
per insidias molitur. Compertō scelere Geyſa
Ladislaum fratrem in socia arma vocat, faci-
lēque ſibi jungit illum, qui viderat divinitus
Geyſæ coronam auream imponi. Tantō belli
ſociō facile vincit Salomonem, & accessione
Procerum facta Rex eligitur; fufcipit munus pa-
triæ charitate tactus, & ingenti ejus commodo
procurat; vivō tamen fratre, & coronatō an-
tea capite, nunquam admittit ſibi ſacrum dia-
dema imponi. Hujus consilii an author, an
particeps fuerit Ladislaus, certè sanctissimè te-
nax, nam ſuccellor fratri, & auxiliō cœlitum
Rex, nunquam ſuſtinuit urgentibus licet Proce-
ribus, ut aut Rex nominaretur, aut caput inſi-
gniret coronā, ut ita impressum fratri characte-
rem illæſum conſervaret.

IV. Ultimum, & fortasse cæteris potentius
ad rem p̄r̄ētem exemplum eſto Emerici hoc
nomine Regis primi. Andreas Dux, ejus frater
junior, & ſuā ferventior indole, & nonnullo-
rum ſtudiis incitatus ignaviam primò accusare
fratri, mox apertō palām vulnere, ambitum
Regni p̄r̄ē ferre, infectari Principem conjura-
torum manu, denique instructō p̄r̄eliō in are-
nam ausus descendere, periculum fakturus,

Seni-

seniori, & ignavo, an juniori sibi, sed manu strenuo, tamque ad propagandum Regnum, quam pro indole Hungarorum alacriori nato Regnum avitum deberetur? constitere ambae acies, jamque in cognato pectore meditabatur miles istum, cum Emericus rem sine sanguine, non sine pugna confecturus, Majestatem Regiam opponit audaciæ, regali siquidem amictus paludamento, sceptro & coronâ insignis, aciem mediis inter utramque augusto incedit passu, ostenditque se Regem esse, cui suam nunc uterque præstaret fidem exercitus, & si quis obturbaret hostis, vitam in obsequium, sanguinemque consecraret. Nec mora, submisit animos Andreas, submisere gladios milites, & qui exturbaturi venerant Principem, junctis amici redeunt dexteris, coronatum hominem communi venerantur officio, nondum Emericum invadunt, reos se faciant violati diadematis; perge jam, ignavum, aut inermem æstima, quem Hungarica corona armavit ad dignitatem.

V. Neque exterî minus eam suspiciebant, qui ibi futuram illico Regni potestatem, ubi hæc resedisset, non dubitabant, posteaquam enim didicerunt in nullam citius partem ituros Hungaros, quam unde illapsu suo diadematis radii vibrarentur. Eapropter iub annum Domini circiter 1300. vitâ functo Andreâ III. Bonifacius hujus nominis VIII. Pontifex Carolum Robertum Siciliæ Regis filium Stephani IV. nepotem ad folium offerebat Hungaris, ursitque acrius etiam parte nonnullâ Procerum in partes attractâ; at eorum-

eorundem pars numerô, viribus, dignitate potior Wenceslaum Wenceslai Bohemiæ Regis filium chariorem sibi jam in regiam Regni induxerat. Pater cautus eventuum de tredecenni filio sollicitior ne Carolo æmulo incusloditum proderet, coactô exercitu & ipse Pestum venit, nunciâque degenti ultra Danubium filio, ut regi insigni redimitus veniret in castra. Nihil doli mali subesse veriti Proceres comitantur ab arce Budensi Regem, cui post mutuum amplexum Pater tanquam contemplaturus diadema, aut onere levaturus filium, illud capite eximit; neque redditurus, obtestantibus nequidquam Hungaris, aut secura pollicentibus; se siquidem de imperio filii securum malle manere, neque id obtenturum faciliùs, quâm retentâ in manibus coronâ, cum qua & imperium, & animos Hungarorum sciret in sua retenturum potestate. Tandem inter duos litigantes dum tertium sibi Regem diligunt Hungari Ottonem Bavaram Bohemi consobrinum, Weneeslaus, & cognato sanguini, & grandi pecuniæ cessit coronam, Jusque Regni Hungarici, quam ubi in Ottonis manibus conspexere Proceres, in eundem conspirârunt etiam plerique Carolinæ factionis; nunquam cessuri, nisi Wenceslaus posthabuisset utile dignitati.

VI. Alterum non minoris stetit Hungaris externæ venerationis exemplum. Post Sigismundum vix bienniô moderatus Hungariam Albertus fatis cedit relictâ Elisabethâ conjuge, quæ clâm ereptâ è Vissegradensi thesauro coronâ Ladiſla.

dislaum posthumum vix quadrimestrem in cunis
 redimiri curat per Dionysium Archi-Episcopum
 Strigonensem; finitâ inauguratione in locum
 coronæ aliud quid supponens ipsam aufert, sive
 ignarô, seu consciô custode Ladislaô Garâ,
 unâque cum Rege puero Friderico Imperatori
 in tutelam tradit, interim rebus moderandis
 evocatur è Polonia Uladislaus, dies dicitur co-
 rationi. Sed en improvisus error, qui plu-
 rimum turbaret animos omnium, tum quia illæ-
 sis signis aberat sacrum pignus, tum quia non
 esset in promptu aliud ad solennitatem, tene-
 bat interim pudor omnes, & metus suspicionis,
 ne viderentur lusisse velle Principem. Et sanè
 fuit sinistrum omen, quod sacrum diadema ei-
 dem coronando deesset, qui violatâ sacramenti
 sanctitate bellum erat illatus, & ab hostibus
 fidem superum contestaturis capite mulctandus,
 quod hastæ præfixum ludibrio hostibus, suis
 exitio futurum fuit. A casu Uladislai patuit,
 ubi corona lateret, nam Elisabethæ clientes,
 coronatum antea, sed per ætatem imperio im-
 parem, Ladislaum posthumum evocari petunt
 ad Regnum, consentiunt universi, eumque à Fri-
 derico repetunt, qui permittis vastari tandem
 Styriæ. Austræque finibus Regem dat, non coro-
 nam, quam denique Matthias Corvinus inter-
 positis precibus, armis, populationibus, Ele-
 torum suasu, & numeratis sexaginta aureorum
 millibus redimit. Sunt, qui retinendæ coronæ
 pertinaciam avaritiæ Cæsarî tribuant, æquiùs
 adscribendum id est studio conciliandæ potesta-
 tis,

tis, quā vel sibi (cūm ipsum illā clām redimītum nonnulli referant) vel suis regiam cūm vellet, affereret majestatem, aut certe pro lubitu Regem coronaret, quem noverat ab Hungaris religione sacri diadematis haud repudiandum.

VII. Neque mirum sit tantam hominibus fuisse sacri illius curam pignoris, quando nec cœlibus minor fuit, sive dum incuriâ mortalium perditam Hungaris reddiderunt, sive quia vastatō per nefas Regnō sanctæ religionis hostibus nunquam prodiderunt. Erat aliquando, cūm Otto Bavarus rejectō æmulō Hungariam jam, Transylvaniāque pro officio viseret, atque coronam deferret secum, quod ut cautē ficeret contra hostes, improvidē fecit pro solertia famulorum; nam ligneæ impositam thecæ, tanquam quid non magni ponderis privato credidit aulico, qui parum sollicitus officii, quanquam Regii mandati observantior esse ciebuerat, ē sella equestri pro more suspensam deperdidit. Rex jam ex itinere receptus hospitio depositum ab aulico repetit, à nihil minus cogitante quærit, deperditum is denique confitetur, neque jam deperditæ rei jacturâ urgetur adeò, atque Regis offensi metu. Otto protinus oculatores relegere viam imperat, & en prodigium! cūm tot aut aulici sequerentur Principem, aut ultro, citrōque commearet populus, in oculos nullius incidit, aut pedes, ut periculum patetetur, sed recepta tum quidem inoffensè, Regis tamen portendit casum, qui primū custodiâ deten-

tus,

tus, mox coronā, & Regnō privatus ad Russos, unde in patriam rediret, est dimissus.

VIII. Casui, oscitantiæ, aliisque causis id adscribant alii, istud certè singularis DEI providentiæ sit indicium. Coronatō jam Joanne Scepusiensi Petrus Perenius coronæ Gustos, nescio, quo levi admodum, attamen graviter offensus crimine homo ambitiosus Ferdinando I. ex Austriacis Imperatori consignavit diadema, & eodem jam redimito, ut antea, contra jura Regni sibi retinuerat; subinde ingruente Solimanno in auxilium à Joanne Interrege evocato se cum suis recipiebat ad tutiora, at in via à clientibus Joannis intercipitur, ac proditione famæ, salutis publicæ, ac religionis turpissimâ Solimanno cum diademate traditur; quo scelere trahebatur in patriam ruina, Solimanus tamen re ad Viennam infeliciter peractâ redux Budam, quam etiam proditione tenuerat, coronam cum cæteris Regiæ dignitatis insignibus restituit. Facinus barbari prorsus incredibile, nisi occulto Numinis consilio perageretur. Quis enim inducat in animum, ut dum Serviæ, Bulgariæq; coronas Hungaricæ appendices summō studio comparatas pertinacissimè retinuit, Principem hanc adeò negligenter rejiceret; nimirū homini profano rei sacræ gustum superi non concedunt.

IX. Septimō demùm saeculō majus adiit corona periculum, quia hostibus objecta, qui dum sacri è lavacro characteris communione sunt propinquiores, nocendi artibus sunt periculofores,

fiores. Bethlehemus gente Transylvanus, secta
 Calvinianus, bello contra Ferdinandum II. po-
 tens, Posonii urbe receptus, non arce, unde
 cum custodibus corona despiciebat hostes; quare
 inanes esse iras advertens Princeps, pactâ secu-
 ritate, promissisque proceres elicit, coronam
 sui juris facit, ac latè totâ superiore Hungariâ
 circumvectat, Rex denique à tumultuantibus
 proclamatus, nunquam tamen, quamvis penè
 coactus à Petro Alvinczio, tantum animorum
 cepit, ut auderet capite gestare coronam. Cau-
 sam rei Archi-Episcopum absentem faciunt ali-
 qui, quo sinè coronatio nulla esset; ego certè
 conscientiâ reclamante, ac superis sua sacra pol-
 lui vetantibus actum esse arbitror, ut quod Ro-
 manam Sacro-sanctæ Religionis arcem contra fu-
 rorem Attilæ defendit Numen occultum, idem
 nunc pro Romana hac coronâ contra Romano-
 rum sacrorum hostes laboraret. Nugentur jam,
 qui pollutam Bocskaji vertice eam blaterant,
 qui quia non hâc, sed spuriâ, & fortasse Servi-
 orum coronâ ab Achmete incinctus, nulli Rex
 visus fuit; neque assequor, quæ homini tumul-
 tuoso esset Regis authoritas, quando neque Di-
 vorum Uladislai II. Matthiæ I. decretis ulla vis
 inerat, donec iste jam coronatus sua confirmâ-
 fet, neque Dalmatis ultra Marchionem coleba-
 tur Sigismundus, donec ab uxore Maria Regni
 eam arrham accepisset. Pergant Hungari stu-
 dere hominibus à Roma alienis, dum hos tan-
 topere corona perhorrescit; imò non bona tan-
 tùm, & facultates, sed vires, & vitam in coro-

næ cumulent obsequium, in cuius felici statu universum patriæ decus, & incrementum sunt constituta. Audeant licet exteri superstitionis arguere Hungarorum reverentiam, istis certè à tam felici, atque auspicio sidere avertere nec licet oculos, nec mentem, quibus in spem illud superi concesserunt, ut resurrecturam ad pristinæ, aut nobilioris fortunæ dignitatem confidant Hungariam, quia, qui dant Reges, & Regibus coronas, iidem superi & omen, & consilium sub diademate possunt dare felicitatis.

C A P U T VI.

Corona Hungaricae origo, usus, conservatio.

I. **E**T si majorem, quam à superis conciliare rebus velle dignitatem, vix vacare possit crimen, cœlestibus tamen addere humanas laudes vix indecorum videbitur, ut proinde suā non careat laude Petrus de Réva, qui posteaquam à singulari Numinis providentia venerationem comparavit Hungarico diademati, ab humano insuper Cæsarum suffragiō auctam fuisse non obiter contendit. Vir ille quemadmodum sanguine pervetustō, ac splendidō, ità judicid acerrimus antiquitatis adyta penitus inspexit, atque ad Constantimum Sacro-sancti pignoris, quod fidei, ac primis commissum habuit curis, originem revocavit. Istō teste maximus ille Cæsar, Christo succenturiatus, & suæ in Salvatorem, ejusque vicarios pietatis, & plenæ tam-

ad promulgandam, quam suscipiendam Christi religionem libertatis positurus monumentum munera deferri jussit Sylvestro Ecclesiæ Principi, quorum aliquod fuisse nostri diadema Regni conjecturis firmat, an argumentis. Credebat imprimis virorum optimus nominibus ipsis proluisse superos, ut quam Sylvestro Constantinus, tandem à Sylvestro postea secundo in eadem libertatis, ac religionis Christianæ causa Stephano donatam fuisse. Observavit insuper, neque enim custodem vigilansimum latere poterat, Græcis inscriptam esse characteribus, Graecique operis catenis fluentem, arguebat inde quid Romano Pontifici peregrino cum idioma te, quid cum insignibus, aut imaginibus Graecorum Cæsarum, eâ præsertim tempestate, quam Orientales à Latinis acerbo schismate fecabantur, certabantque simultatibus adeò, ut ne intelligere, ne dicam loqui placeret idem Romanis, atque Græcis. Multò sanè procliviores fuisse Romanos Antistites in suam, ac Romanæ sedis dignitatem, quam ut Graecorum memoriam præ suis signis, atque nominibus tam eximio muneri inscripsissent. quando insuper regali pomo illius prorsus temporis operi Latina nomina insculperunt. Accedit & illud, quod Constantinus cætera non minus templa, aut donaria, in Romanæ sedis magnificentiam struxit eadem formâ, & characteribus insigniverit, quod dicatae aris pateræ, ædium sacrarum fastigia tot seculis testatum faciunt, ut iam pronissimum si non opere recenti factam, sed septem antea saeculis

culis donatam, ac in Lateranensi sacrario cultam, Divum, hominumque suffragio Hungaris denique coronam obtigisse.

II. Tantò in rem Hungaricam nobilissimi viri studiò ultro concedendum esset, tum quia pulcherrimum Divinæ providentiae beneficium parit voluptatem, quod eadem principia religionis in Romano, eoque augustissimo, & in Hungarico ob angustias cætera suas tantæ moli non comparando imperio diadematè consecraret, tum quia majorem ab ætate, maximam ab auctore suo caperet venerationem. Ipsa nihilominus viri sagacissimi argumenta tantæ gloriæ honorem nobis invidere contendunt; quæ enim Græcorum inscripta nomina Cæsarum? illorumne, qui ætatem Constantini præcesserunt, at horum catalogum ubi quæremus, cum unus antea è Latio dictaret Europæ leges? immo fuisse Græcos annuere lubet: at quales illi? certè cultores idolorum, Pontificis, ejusque cathedræ hostes immanissimi: jam verò quod illud benevolentiae genus, quæ consuetudo? ut benignissimus Princeps hostilia capita singularis gratiæ loco deferre, & in Quirinali Divum sacrariò conservari vellet, quod consiliò insectatores Christi acerrimos in ejusdem senatum adscribere, laterique vellet miscere sacerorum homines profanissimos. Certè, si Constantinum fuit, tam pretiosæ memoriae pignus, præterquam quod acerbius videatur à thesauro Apostolico proscribere, atque memoriam optimi Cæsaris expungere, etiam offensam videtur excitare,

dum quodammodo Græcorum Cæsarum rescis-
sam eō factō gratiam portendit, quod neque af-
fectui paterno, neque saluti, posteriorūq; Prin-
cipum spei, ac liberalitati satis consuleret, nisi
periculum redimeret consilii ratio, ut ita pie-
tatis donō pietas novæ gentis Romano nomini
conciliaretur. Aliud denique verba Pontificis,
aliud monitoris è cœlo genii referunt oracula,
dum ille confestam à se, hic à Pontifice para-
tam conferri Stephano imperat coronam.

III. Nunc super illustri hac lite relictō penes
posteros judiciō, illud audeo dicere, nec Romæ
defuisse artifices è Græcia, qui opus conflarent,
nec Romano Patri affectum, quo vicinæ ad Græ-
ciam genti Græcorum Cæsarum imaginibus fa-
seret gratiam; neque demum originem nisi à
principe animō habuisse; id operis fabrica cer-
tum facit, cuius formam alii ad explicandos
Principum mores exponunt, quorum instituto
insistere non vacat, ne cum præstantissimis mo-
ralium magistris horologia, axiomata, institu-
tiones Principum, rem majoribus arduam inge-
niis ingrediamur, alii ipsam diadematis fabri-
cam ad omnium notitiam his fere depingunt:
tota aurō solidō cusa, in circulo inferiore, qui
regium premit verticem, exhibet veterum Im-
peratorum imagines Constantini, ac cæterorum
ex Oriente cum inscriptionibus Græcis, ex basi
hac circulari prominent laminæ figurā partim
conicā, partim pyramidali, ita ut hæ gemmis
emicent. illæ Apostolorum sacris iconibus illu-
strentur; has inter fronti imminet effigies Sal-

vatoris globum cruce signatum manu libranteis, occipiti honorem, & præsidium facit Virgo purissima: absis ab utraque hac parte, & gemino latere in arcum assurgit, signoque redemptionis humanæ coronatur. Pendent è catenulis gemmæ pretiosiores numerō choros Angelorum referente, omnes aurō solidō comissæ, premuntq; unā regalem verticem, exornantque.

IV. At quia ornando Principi non satis est caput esse redimitum, quanquam enim ab arce ingenii moles regnorum summō tenetur præfidiō, industriâ tamen ad æquilibrium firmari debet; dimidiū facti habet, qui bene, si non fallor, consuluit, at consilia qui secundo deduxit flumine, ad ævum, & felicitatem stabilitatē. Industriæ, ac fortitudini sua in symbolum providere ornamenta Majores Hungari, aut excitandis Hungarorum virtutibus Romana Sanctitas; inde Regi sceptrum Hungaricæ clavæ persimile cum quaternis ex auro, gemmatisque appendicibus; ejusdem sinistræ pomum inseruit, illō potentiam majestatis, istō iustitiae pondus rectè appensurō. Ità occupato utramque manum, & caput, humeris paludamentum injecit colore cœlesti, parte unā acu pictum Divinæ majestatis thronum in confessu Apostolorum exhibens, alterā triumphantis ad æthera Christi majestatem, utrāque imagine imprimis venerabile, deinde situ ipse nunc, & vetustate. Hæc Roma- na sunt insignia. Amor antiquitatis, & reverentia primi Regis adjecit reliqua, gladium mucrone rectō, chirothecas usu, cothurnos vesti-

giis sanctissimi Principis recens creato Regi induendos ad ceræmoniæ sanctitatem. Neque ita ornatae majestati defuit à comitatu potentia, nam, ut Regni universi manum sileam, Ducum more coronato Regi aſliterunt Proceres decem Regnum vexilla fluentia deferentes.

V. Antea nihilominus, quām regalem hanc scenam ingrederetur Princeps, à votis Procerum pendebat, quorum tanta fuit libertas, ut cùm ab exteris penderent nihil, nihil à mutuis, & privatis rationibus, unam Stephanei sanguinis prærogativam in consilium adducebant. Vicinorum aut potentiam, aut authoritatem adeò extra jus habebant, ut Matthias Regum fortissimus, quamvis ob Regnum Bohemicum septem-viris devinctus, rotundō tamen ore, & calamō ad imperiales literas reposuerit: *Quod scribitur nobis Cesarem Fridericum esse nostrum Dominum, & nos ei esse altè obstrictos: credimus neminem esse ex S. Romano Imperio, qui nesciat nos sibi de Regno Bohemia, & Electoratu tantum, & non de alio esse obligatos, quem certè nos de Regno Bohemia tanquam superiorem, & Dominum recognoscimus, & ita semper observabimus, ut nemo insicari possit nos de eo Regno in ullo unquam majestatem suam offendisse.* Verum ex hoc Regno Hungariae, quod semper liberum existit, & nihil unquam cum imperio habuit, quamvis ratione dignitatis superiorem esse Casarem censemus, ratione tamen dominii pares nos illi arbitramur. Quod quidem jus libertatis quām nulli obnoxium fuit, ab instituto jam inde Hungariæ Regnō Græcis

cis, atque Latinis Imperatoribus est quām quod
maximē vulgatum.

VI, Et ne memoriam Orientis obducas, apud
quem nec animi impetus ante Mahometanam
luem excitavit quidpiam; Occidens certè quan-
tumvis non immemor multiplicis inde à primis
Hunnis calamitatis, adeò tamen intra modera-
tionem constitit, ut si quando ejectos ob acerba
facinora Reges restituerent, nunquam Hunga-
riam sibi jure sanguinis repeterent, vix aliquando
electionis. Ipsi verò Proceribus dum extra san-
ctissimi R̄egis nepotem patebat electio, adeò
constantes, an pertinaces inhæsere, ut consan-
guineō maderent campi flumine; prout enim
finitimorum quisque ut batur consuetudine, ità
non raro Palatinus Bavarо, Polono Primas, pars
una Bohemum, pars altera inferret Italum, unde
illō infelicitatis compendiō, ut dum partium in
sua viscera concurrentium trangerentur vires,
patebat universa hostibus patria, & foedissimā
post homines natos labe folidati gravissimis
paterent casibus Reges, sanctāmq; dignitatem
non tam ornarent, quām obscurarent. Unum
hic addo ad rei præsentis memoriam. Magnum
Romanæ Sedis in Hungariam fuit beneficium,
quō Regni titulos accepit, valere tamen apud
animos libertati suæ immersos tantum non po-
tuit, ut defunctō Andreā III. oblatum à Bonifa-
cio Neapolitanum Principem reciperent, imo
infra libertatem fuerunt fulmina anathematis,
dum illō reje&to Wenceslaum, ac subinde Otto-

nem Bavaram elegerunt , ne quid ea voluntate
ac designatione præjudicij caperet Hungaria.

VII. Electo tandem , qui caperet Regni cl-
vum , firmatōque electionis jure , vel solenni
sacramento , ut factum sub Ladislao posthumo ,
vel communi acclamatione Senatus , populique ,
cujus infinitus ex omnibus Regnorum finibus
confluebat numerus in campo Pestinensi ; so-
lennis pompæ dies insequebatur , quō recens
electus Albam Regalem , ita dictam à sceptri , tu-
muli que aditu , deductus , ante ingressum urbis
ad Virginis ædēm pro mœnibus conditam di-
vertebat , in cuius vestibulo consensā cum Pro-
ceribus porticu apparebat populo , quem serva-
tis intervallis iterum , ac tertio requirebat Pala-
tinus , utrum electum Pestano in agro vellent ,
juberentq; coronari . Acceptā populi , militiæq;
plerūmque 80000. comitantis acclamatione ,
vibrabat in quatuor Principes Orbis plagas en-
sem , datō tam auspiciatō patriæ signō testabatur
se autoritatem senatorii ordinis , salutem po-
puli pro potestate curaturum . Finitis suburba-
nis urbem , regiamque penetravit eō trium Pro-
cerum comitatu ; ut medius coronam , hic sce-
ptrum , pomum ille aureum anteferret : Præsu-
lum nonnemo pacein auream , Magnatum cru-
cem aliis , gemini gladios , eductum unus , alter
vaginā conditum ferebat ; fluentia omnes ve-
xilla protegebant . Ad aras ipsas reponebantur
insignia ; demum rogati : utrum vellent , utrum
dignum putarent ; conclamarent universi . De-
finente populari plausu metropolita admonere

Regem officii, Rex ad singula respondere, ac spondere fide regia reapse observaturum; acceptâ sponsione Sacro-sanctâ Primas in summo humeri dextri unxit, unctum in solio collocavit. Postea Rex in lateralem ædis partem edutus, indutus omni Regii ornatûs suppellectili, in solium repositus fuit; cum Pontifex præparatô ad sacra mysteria animô, ornatûque ad aras concinuit felicis inaugurationis carmen Alleluja; inde gladium stringendum dexteræ, tum reconditum vaginâ lateri accingendum curavit. Ita obarmato corona Regi imposta, ipse solio, quô rediens osculatô crucis signô, promissa priùs iurejurando confirmavit; inde applausum immensa populi multitudo sustulit: Vivat Rex! suâ jam potens majestate Rex, aut vetera confirmabat officia, aut novis conferebat, prout aut in Regem certabant merita, aut merendi singulis Rex dedit occasionem, quos antea fides probaverat, aut insignis indoles luce aulicâ dignos, aut obsequii promptos commendavit. Auratos inde creabat equites, qui calcaris aurati usum haberent, munus erat honoris potius, quam utilitatis insigne, quo deprehenderent singuli, merita dum ad thesauros non præmiantur, ad memoriam certè commendarentur; ceremoniam evaginati ensis attactu Rex è solio peragebat, cinctus coronâ Procerum, qui tantis Regni insignibus illustrem præmiferis scenam adorabant.

VIII. Perfuncti suis cum Rege muneribus Proceres ad festivos primùm abiēre plausus, tum

ad epulas; coronam verò cum cæteris Regni ornamenti Vissegradi Arx, superba quidem mole suâ, at pignore tanto reliquis arcibus planè adoranda recepit, neque enim privatis retineri in ædibus sîne læsione dignitatis coronæ Majores Hungari putavere, imò ne sîne periculo, quod nonnullorum vitiô adierat, è quibus illud emerit commodi, & cautelæ, ut deinceps non uno, sed geminis committeretur custodibus, quorum neuter invito altero, aut reseraret thesaurum, aut conderet, quin ipsi etiam in corona Procerum signarent, resignaréntve diadema. Tam salubri consiliô memoratus Perenii casus dedit causam, sed imprimis Elisabetha Uladislai Vidua; astuta hæc, an timida pro ingenio muliebri fœmina, dum clâm eruptam, an corrupto custode per avia, & invia secum defert, ne cui oreretur suspicio, eam pedissequæ tradit elusura faciliùs insequentes, imò inani, an verò terrore perculsa domo, ad quam diverterat, profuga efferrí, atque salici cavæ imponi præcipit, donec superrato periculo, an metu Viennam ad Fridericum Imperatorem, in cujus manibus annos vicenos tres, & amplius detenta, tandem à Matthia recuperata missis legatis cum insigni trium millium comitatu, quos, cùm videret Fridericus, belli eam faciem, non pompæ suspicatus ad Neostadium subsistere jussit, paucis, qui nec inferre, nec repellere vim possent, admissis; inter quos Principes ex Hungaria viri Vardajus, Vitezius, Ujlakius, Zapolajus, Turoczius, & Paloczius eminebant; postremus etiam gravi senectute ve-

nera-

nerabilis eo consilio destinatur, ne quid in receptione pignoris subreperet fraudis. Inoluerat siquidem Hungaris, an vera res, an in ore hominum nata, non dispuo: Langmannus certè secretorum Friderici conscius quo consilio prodidit: Imperatorem suum Hungarico diademate in urbe Austriæ Neostadii redimitum fuisse, quæ tamen coronatio, quia nec loco, nec ritu consueto, neque præmissa Procerum, populique suffragatione facta, nunquam attulit id nominis Friderico, ut ab aliquo scriptorum in catalogo Regum Hungariæ scriberetur; nam neque candidati, neque coronari, neque merita posuisse Regem faciunt, at primò tum nascitur authoritas, cùm merita in candidatis ex ratihabitione populorum coronantur. Apud alios reperi est Fridericum induxisse in animum, ut binas veteri simillimas cuderet coronas, ut suam recepturi Hungari veram non discernerent, atque adeò nunquam legitimo gauderent Rege: contra has insidias legatus Paloczius, qui ex tenuissima, quam Fridericus cum suis non observasset, gemmæ fissurâ genuinam ostendit, & plenissimo Hungarorum gaudio reportavit.

IX. Dum igitur suâ pace frueretur Hungaria, augusto velut in folio Vissegradi diadema resegit, quia verò, quæ dignissimo sunt gradu, sunt aut plurimis, aut gravissimis objecta casibus, idcirco, & regale hoc ornamentum peregrinas sæpius adiit oras, non sinè grandi periculo, quando ætatem tulit, quâ ubi deliquerit, adeò obscurum est, ut etiam fides historiæ laboret.

Nam præter memoratos antea casus, miserrimum illud, ac funestum planè populationis Tartarieæ tempus adeò ignotam reddit coronæ stationem, ut præter suspicionem supereret nihil; teterima si quidem illa tempestas ità tenebris involvit omnia, ità locum omnem implevit, ut ubi tutò consisteret, nemo inveniret. Fuit ea nonnullorum mens, ut afflictam licet atrocissima clade Pannoniam nunquam admitterent è singulari cœlitum oculo excidisse; sed humana dum præsidia non faverent, an ominosâ fiduciâ, an impetu Divûm Vissegradi mansisse diadema autumant, eaque propter extra potestatem hostis erat Vissegradum, cum reliqua ingens teneret vastitas, ut regni basin tueretur, aut certe mansit immune, quia Numine sacri diadematis defendebatur.

X. Ad humanam alii refugiunt sagacitatem, qui cum reliquo Regni thesauro extra fines Hungariae, aut præmissam, aut ablatam à Rege confidunt, Belam enim IV. nunquam eò perturbationis immersum fuisse concedunt, ut sacri pignoris, aut oblivione teneretur, aut extremo periculo in patria id deserendo objecisset. Quæ quidem Regiae prævidentiae existimatio admodum artidet, nisi occurreret animo, necdum ità dejectum fuisse Belam, ut vasa colligeret, qui exercitu comparato obviam processit Tataro, etiam relatus victoriam, nisi fato quodam inertes, discordesque in eum articulum subditos habuisset. At à clade ipsa nec eyehendi thesauri tempus erat, inò si clam avexisset,

apud

apud Archi-Ducem Aust*iae* coactus deposuisset, nam teste Rogerio ejus temporis calamitates experto, Dux veterum injuriarum haud in memor fugientem Belam velut bono hospitio excepturus in partem ultra Danubianam evocat, fessum fugâ aggreditur, neque antea, quâm vasa aurea, argenteâq; & magnam pecuniæ summam sponderet, dimissurus, quo quidem casu nihil minus, quâm coronam, si affuisset, aut in pignus, aut in exolutionem erat acceptius; qui casus Belæ post Tartaricum vix esse potuit, cum ab amico, finitimo, ultimo peculio spoliaretur; hæseratq; sinè dubio alta mente, dum cœli meliora, tempusque dedissent vindicandi opportunum.

XI. Nec ad præsidium, neque ad dignitatem satîs videbatur Vissegradi munitio, neque enim invicti possunt esse muri, quos aut urget, aut deserit humana industria; ideo constitutum fuit viros addere, qui singulari fide, invictâ constantiâ diadema custodirent, quibus animo infessisset patriæ salus, procul à privati, aut commodi, aut dignitatis ratione sejuncta. Et quia superiorum ætatum exempla satîs attulimus, unius meminisse juvat. Acciderat, ut Matthei Imperatoris regimine Romanus Pontifex pallii Hungarici Regis copiam sibi fieri postularet, cui gratiam facturus Imperator, mitti sibi paludamentum imperat eo consilio, ut pictam ejus effigiem Viennâ transmitteret Romam, tergiversari primùm custos, subinde etiam palam renovere, juramenti religionem, quo obstrictus esset interponere; indignari proinde Imperator, at

cognita legis reveritate, laudatâ Proceris fide eo pacto impetravit, ut custos ipse deferret pallium, ac desumptâ quamprimum imagine referret ad conclave, sericóque, ut involutum servatur pannô, reconderet ad coronam. Quod quidem conservandæ coronæ munus olim dignitatis habuit plurimum, & solicitudinis, quando liberis votis legebantur Principes, ut authoritate sedarent, & consilio, populum etiam vi repellerent. Modò cùm pacatâ hæred tatis lege transit sceptrum ad Filios, dignitatis, ac fidei obtinent compendium, molem, & curas vix ferunt.

XII. Jam præter dignitatis prærogativam utilitatis accedit maxima; nam licet Regis prærogativâ omnium sibi vires, atque facultates Rex vindicet, ipsius tamen coronæ jure proprias opes, nulli penitus quam sibi habet obnoxias, tanto quidem vinculo, ut in commoda nullius privati, aut publici hominis, exteri, domesticique erogate possit, ne dicam facere alienas. In hunc peculii catalogum veniunt civitates populo frequentissimæ, commerciis in Hungaria celeberrimæ, situ ipso, frugumque copiâ ditiissimæ quindenæ; Montanæ septem cum auri, argenti, æris, ac ferri fodinis, quinque cum salinis. His accedunt Gumanorum, & Jazygum agri vasissimi, pecore, ac frumento fœcundissimi; castra præter sedem Vissogradensem, Munkatsionse, Diogyoriense, Husztense cum rivulo Dominarum; insulæ Csepel, & Rosad Vissogradensem tractum; universæ tricesimæ per Hungariæ, Sclavoniæq; Regna; è quibus redditus oportet esse amplissimos,

mos, cum & haec frequentissimae sint, & nundinationis, ac mercandi dies plurimi, ad quos omnis generis ementium, ac vendentium sunt accursus. Neque libet huc attexere Transylvanarum terrarum, montium, fluviorum lucra; quibus recte confectis alium sine dubio provenitus Hungarici numerum apposuisse Lindanus, quam 224000 aureorum, nisi forte ea tempora supputaverit, quibus dimidiata ferè, aut amplius possidebat Hungariam Othomannica tyrannis.

XIII. Paucioribus attamen ista complecti placevit numeris, ut illud colophonis loco addere liceat, quod si quando casu, aut fraude abesse ab Hungaris diadema contigit, coronando est vestigio Regi altera promebatur, quæ in Albensia sanctissimi Regis imminebat statuæ, quod ominosum fuit, ac in deterius, nam Vladislavus Polonus hoc ritu inauguratus in prælio ad Varnam amisit caput Asiae toti ludibrio futurum. Atque ex hoc oritur alterum, quod Proceres circa coronationis ritus penè ad superstitionem erant observantes, atque in futurum portendebant, quidquid accideret casu, aut insidiis, unde fracta in coronatione alterius pertica vexilli plurimis excussit suspicionem infelicitis illius exitus, quo intrusus aliquorum factione Neapolitanis sanguinis Princeps vitâ Regnum expiavit. Ultimum utroque dignius observatu, quod eadem Divorum ædes exceptit soli Reges, quæ tumulo. Non designato fortasse humanitus omne, at certe disposito superum ordine, ex quo discerent à decessoribus Regibus partem regiminis

nom

non omnem exactam, adeoque à successoribus perficiendam esse, aut certe virtute Patrum justitiam, & felicitatem Regni moderandam. Fortasse etiam admonendi erant in apice constituti homines innatae vicissitudinis, itaque esse meliore fortuna utendum, ut supra homines positi nihil à se alienum putarent, quod humanum esset. Exemplo planè suppari ad illud, quod Quirites edebant, dum triumphantibus à tergo viris immineret præco, qui identidem ingeneret memoriam humanæ, id est, ignotæ ad extreum conditionis; quodque Romæ viva, hic mortua vox admoneret, & quidnî suo mortore, præsentique & efficacissimè.

C A P U T VII.

Reges Hungariae felices, aut infelices.

1. **M**agistro Romanæ eloquentiæ Principe Tullio: frontem, oculos, vultus persæpè mentiri nemo est, qui non didicerit; at vera frequentius docere natura observavit, neque enim tam artifex est animus, ut ejus simulandi peritiam tempus non prodat, aut eludat. In magno Républicæ corpore Reges capitis partes occupant, & dignitatem, ex horum colore, aut lineamentis, constitutionem Regni est intelligere, ex bona, malâve fortuna Regni casus internoscere, aut prosperitatem; multa equidem possunt in corpore manus, multa pedes, at caput in omnem inclinat partem. Dum ergo Regni Hungarici cursum stat proponere, brevi hysto.

historiæ Regiæ periodo est describendus. Bonfinius præclaram Hungariæ operam impendit, nisi non fuisset affecutus Ludovici II. tempora, in quo nobis præsentis Politicæ quinque sæcula terminantur. Petrus de Réva laudatissimo compendio magnum labori nostro attulit compendium quinque centuriarum voluminibus. Nobis nec annales, nec chronica, nec synopses Hungaricæ displicant, placet Mausolæum, & in lugubri nomine gustum suavissimum excitat, quia quorum sacros cineres, & ossa diversa parte Hungariæ occupavit lethum, & tumulus, ars oratoria in unum justis gloriosis contulit Mausolæum. In præsenti nec historiam texere, nec Regum acta omnia persequi placet, sed exhibere indicem bonæ, aut sequioris, felicis adeoque & infelicis Hungariæ servatâ serie sæculorum, quibus ea nomina obvenient, quæ gestorum in præmium retulere. Primum sine longa controversia sanctum, adeoque aureum; secundum æneum, ubi regnabat livor, & Heroum filios noxas vidit; tertium honorificum parte una, parte altera plumbeum ex labore calamitatum. Successit illi argenteum & gloriosum, terminavit denique ferreum, atque bellicosum; quamquam enim Hungaris, aut suo genio, aut vicinorum undequaque incursantium insultibus inquietis esse fatale fuerit, hoc tamen ultimum bellorum compendium, scena Martis, in qua Turcis, & Christianis colluctandum fuit.

II. Primum illud, ac verè fortunatum sanctitatis sæculum pulcherrimam à Geysa Duce autoram

roram vidit, diem in Stephano sanctum aspexit.
 Dux Geyfa sancti Filii religiosus Pater, cum Ju-
 dæo Rege Davide ab erigenda domo Regni Apo-
 stolici impeditus, quasi aris Christianæ legis ni-
 hil esset communе cum sanguine, à quo etiam
 num madebant suæ, aut suorum manus, filio
 gradum struxit ad Apostolatum. Filius ergò po-
 pulum consecravit universum, cui omnis actio,
 sermo, nutus in pietatem ebulliit, religionem
 spiravit, & filium hujus assistente genio pro-
 tulit, qui non floribus modò sanctitatis exube-
 raret, at etiam fructibus ad odorem, & nutri-
 mentum Regni, nisi nequidquam eidem matu-
 ruisset, quia cœlo aptior ob candidissimum Vir-
 ginum honorem. Conjux Regi, Mater Ducis san-
 ctissima, Imperatoris Henrici aris impositi filia,
 Episcopi quemadmodum dignitate ità moribus
 sanctissimi; Sebastianus dignissimus à S. Rege
 habitus, qui Strigonensem Primum obtineret;
 Colensem regebat Astricus legatione Romana,
 & adductis in Hungariam Regni titulis Augu-
 stus; Gerardus Csanadiensis, educatione Emerici
 illustris, Buldus Agriensis, Maurus Quinque-Ec-
 clesiensis ab Emérico Duce de virginitatis gloria
 osculo probatus, à Rege de simulatione; Bezter-
 tus Nitriensis, omnes à primo martyrii laurea con-
 decorati. Et hos inter eminebat Adalbertus,
 felicior hospes Hungariæ, quàm patriæ civis,
 qui socios habuit Piligrinum, Gaudentium, Bo-
 nifacium, & prædicationis, & aliquos martyrii
 apud Prussos. Proceres ipsi in vanitatis, & bel-
 lorum arena educati ad mores alios transierunt,

ut meritò Hungaria tunc diceretur aula Sanctorum, quæque antea Scythicis erat erroribus, ac rabie horrida, nunc pietate fieret amabilis, ut innumeris ostiis in eam felicitas influeret. Ne scio tamen, quos tumultus aquilo miscuit, & inter lætam segetem triste lolium germinavit Petrum, & Alboinum? at extinxit pestem Andreas, Bela resarsit religionem, Salomon tamdiu utramque probavit fortunam, donec usū didicerit, nihil felicius esse, quam sui sequi mores sæculi, & neglectis privatis factionibus cum sanctis sanctum esse, aut sanctum mori.

III. Sæculô secundo, si Baksaïi, Révai, Ritii, historiæ, & lamentationum fidem sequimur, visa est repente Astræa terris eripuisse pedem, Numenque suum; pietas abiisse exul, & Regni M̄jesta ex alto ad ima decidisse, cùm post sacra Regum nomina, non Regum, non hominum, sed monstrorum plena omnia fuisse ingemiscant; certè supputatō ejus sæculi calculō, quanquam omnia à labe immunia non sint, lolium tamen intra sementem bonam fuisse, nec infugiferam. Initium certè nimium à fine prioris dispar duxit Colomannus corpore, & animo æquè deformis Révajo, ac planè turpior illō, quem Bilbilitanus describit, Romanóque, ac probo juveni cendum, nam staturā pusillus, capillō niger, fronte in calvitiem nudatā, linguā blesus, pede brevior enō, lumine luscus, animō impotens, & usque ad sanguinarii atrocem titulum horridus, quem his facinoribus demeruit; nam Majorum designatione, ut pietate corrigeretur, & ne po-

ten-

tentia armaretur ad scelera, Varadinensi Ecclesiæ Praefectus fuit; at subito ferox animus deserta pietatis arenâ, Almo fratri Regnum præripuit: ambitione primum, non vi, aut ingenio fretus, nam Proceres pertasi bella civilia, & adhuc sumantia busta, visis simultatibus, singulare certamen obtulere fratribus arbitrum corona, qui enim vicisset alterum, unâ subiiceret sibi colla subditorum; at ipse pugnæ quidem copiam subterfugit, fratris tamen amplius cives miserantis benignitate usus, delectum sub signa militem quasi patriæ parciturus in Ruthenos traxit, ibique Reginam flexis genibus, ac lachrymis bella deprecantem calce percussam rejecit, obtricurus æquè impotenter armatorum aciem, si æquè foret facile vincere viros, atque pro volutam genibus mulierem. At non potuit non vinci impotentia, nam spes in desperationem versa Principi viduæ iras ministravit, & copias, militibns robur, & ferociam, ut ab iis vinceretur Rex penè ad interacionem. Vicitus ab hoste domi suum sitivit sanguinem ex genio suspicaci.

IV. Ea iterum in arenam descende Almo, ætate grandior cum juniori, vir fortis cum imbelli à fœmina victo, omni ex parte ad victoriæ nate, & ad Regnum, cum imbelli informique; frustra pietas, frustra te protegit civium miseratione; cessisti Regnum, & patriam servâsti; cessisti fratri, sed ut cederes furori. Nequidquam privatum otium adiisti, nequidquam omnies pietatis artes expertus. Desponde licet

Colo-

Colomanno fratri Siciliæ Regis filiam, desiste singulari certamine, fuge Patavium Noricorum, ut insidias effugias, duc Sarinatarum, & Hungarorum auxilia, supplex genibus accide, qui vincere poteras, Hierosolymas abi extorris, abi ad Romanoruim Cæsarem, ut interpellet; frustra laboras, fugis, exulas; inveteratus odiorum, fœtus suspicionum Colomanni animus, tu:abit otium, patronos negliget, furias excitabit, donec tandem, & tibi faciem monstri inducat. Alia omnia, putas tu, comminiscitur Colomannus, pacem colit, pietatem amat, fratris commoda sectatur; Erras Alme, erras, jam in tuos medicinam parat Draco medicus oculos, ut oculis capiaris; jam Bothus è vagina gladium educit, ut sanguinarium fratris Imperium exequatur. Infelicia nimirūm tempora! ultimum exhalatus spiritum Colomannus imperat Botho, sicario scelestissimo, ut ab aris Demesiensis Ecclesiæ, quam Almus Ducalibus ædificarat sumptibus, & cœcitatis vices deplorabat, avellat, & ferro percutiat; factus erat horrendum facinus Bothus, nisi loci Sacerdotes prohibuissent comminati vindicis iram DEI, quam justè tulit supplicio, dum fraternæ discordiæ administer canibus præda fuit.

V. Nec inultus periit Colomannus, nam Bo-richum ex adultera uxore Ruthena spuriū habuit, mortuō in pœnam legitimō, Mārem ob adulterium respuisse satis fuit, cui forte veniam dederit, quod alium à viro informi deperierit. Sanctus etiam Donatus pro tantis meritis pœ-

nam intulit, ut acceptis à Sancto vibicibus toto corpore liveret: credideris hominem à tanto supplicio sapuisse, nisi mortem inter furias obitam fuisse legisses. Venetorum tamen Legati, nescio quo lenocinio, eundem Principem pientissimum, Nepotem insuper sanctissimorum Regum Stephani, & Ladislai laudant quanto encomiō! ut neque religione, neq; clementiā, neq; illis ullo pietatis genere inferiorem fuisse dicerent. Moniales Jadrenses in suo monumento piissimum Colomannum scripsere. Fuerit proinde & in monstro hoc, quod pulchram illi gloriam pararet apud posteros, duas nempe filias post fata reliquit victorias, quibus Venetum, & Dalmaticum bellum feliciter confecit.

VI. Ferociam, & fraternalm Patris impietatem emendavit filius Stephanus II. secundi saeculi reparator, cui non satis fuit pacis ubique reliquise vestigia, ubique procurasse praesidia, nisi desertō saeculō induisset monasticen rara providentiā, ut Patris desertō Divūm obsequiō infamis crimen elueret suo mundum deferentis ad superūm studia transitu filius, an potius, ut debitum Almo Imperium coecus filius occuparet, luscique patrui errores, acutior animo Bela emendaret. Monstrum sine dubio cæcus Rex, nisi animo Argus fuisse, cui cum Mercurium aliquem observare fuisse facillimum; en Borichus audet vafricie; ideo tamen elevare caput permisere monstrum superi, ut in Hungarico non alterum regnaret monstrum folio; ejecto Boricho feliciter alta pace regebat Hungariam, nisi crimen incur-

incurrisset, quod adulatoribus aures daret, cuius tamen facile tulerit veniam, eò quod audire debuerit homines, quos discernere videndo non potuit.

VII. Geysa Belæ successit, & oculatus, & felix Princeps, nam victo Conrado, ac mox de transitu in Palæstinam Legatos mittenti, & trahicere exercitum permisit, & corrasis etiam ex ornamentiæ ædium sacrarum pecuniis transeuntem juvit, sed magis etiam coluit Ludovicum sanctum eodem consilio ad loca sacra contentem, qui præter belli titulos attulit famæ sanctitatem, moderationis comitatum, quo ultra memoriam hominum benevolentissimum habuit Geysam, & amavit.

VIII. Stephanus & commendatione Parentis, & Procerum consensu Rex proclamatus gemina, sed minora vidi monstra, & superavit, Ladislauum alterum, qui usurpatam clanculò coronam sex mensibus tulit; Stephanum alterum, qui vi sibi diadema usurparet, & quia neque dolus, neque vis impia fert diem, aut patronum, deviroque victor Belæ III. Regnum reliquit, inde filio Emerico, ac tandem Nepoti Ladislao, qui denique clausit sæculum, capite, ortuque horridum, at subinde Haliciæ, Lodomeriæque Regnum accessione fortunatum.

IX. Huc animos, huc oculos adverte posterior Hungaria, imò gaudia, & dolores! sæculi tertii humanarum vici studinum imaginem aspicere. Hinc plausus, & faustas acclamations, inde lamenta, & velut è profundo cavernarum singu-

gultus, & suspiria. Adornabat primō saeculō
 in Saracenos arma Ladislaus, at hōc saeculō edu-
 xit Andreas; rogabatur ille Archi-strategi offi-
 cium, hic etiam sustinuit gladium vindicem Pa-
 læstinæ, applaude Principi forti, fortunato. At
 parce plausibus, comprime labia, vocem sus-
 foca, in tuas effudit clades Tartaria quingenta
 millia profligatissimæ nationis, quā nihil aspe-
 ctu tetrius, indole immanius, crudelitate tru-
 culentius. Jam plenis inundat patriam vorti-
 cibus, sanguine proluit, nec urbium mœnibus,
 nec rupium præruptis, nec arcium propugnacu-
 lis impeditur; rimatur omnia, humana prote-
 rit, Divina polluit, astu, insidiis, ferrō, faci-
 bus, incendiis ad intima grassatur. Jacet jam
 protrita Hungaria, jacet triste cadaver, & ut
 ingemiscere possit, spiritum penè non trahit.
 Unō quinquenniō omnis ab oculis sanctorum
 memoria Regum abolita, proculata Majestas,
 & ne parum eam videantur attrivisse superi, fa-
 me, pestéque ad ultimum exhausere. Imò verò
 resume vires, jam Bela redit ab Adriatico, con-
 quirit populum, restituit Proceres, & cùm pace
 restaurat Regni Majestatem. Et reddiderunt fa-
 ciem superi, nam Stephanum dedere Regno vi-
 etorem Ottocari, dedere Ladislaum victoriā, &
 fœdere cum Rudolpho Habsburgico inclytum,
 ac posterioribus temporibus prudentem, ut
 quem tunc ad Imperii solium promovit belli so-
 cius, ejus olim nepotes haberet sui Regni suc-
 cessores; felicissimi Princeps ominis, nisi Cum-
 nis fuisset familiaris.

X. Ex livore plumbi eleva dignitatem tuam ad argenti splendorem Hungaria; nisi sancti Reges aureum vixissent, hoc sæculum ordine quartum, eum sibi fulgorem rapuisse, ergo argenteo delectare, quod duo tibi prælertim Reges excoxere. Wenceslaus humanis tibi veniebat consiliis Rex, & factione superaverat, sed metu rerum humanarum in Ottoneum pondus Imperii reclinavit, donec & illô in exilium pulsô, Carolus denique accepit diadema, quod annis triginta duobus auspiciis Pontificis acceptum tenuit magnâ victoriarum accessione, sed illâ maiore, quod Ludovicum acceperit omnis humanæ felicitatis compendium: nam annis ille quadraginta tenuit Imperium, neque tam diuturnum, atque fortunatum. Nam religio Regnorum basis latissimè suos diffudit radios, pax alta regebat felices animos domi, & tranquillitas, foris bella longè secundissima, accessione Neapolis, & Siciliæ fœcunda. Und, uti humana sunt omnia, felicitatem propè abruptit, quod tantæ gloriæ hæredem Regulum non habuerit, nisi forte parem fortuna noluerit, superiorem non invenerit. Providit attamen Imperio, ut Majestate Cœsareâ, ac sapientiâ illustrem, itâ à fortuna desertum.

XI. Ad felicissimum denique, quia viris sub Marte natis, evocaris Hungaria sæculum, quod, ne leviora moram faciant, duo consecere bellum Pater, & filius, ambo Hunniadæ. Sed ut primùm cecidere fulmina belli, virtus Hungarica assurgere ultra non potuit, constantiâ

rebus humanis tunc nondum natâ, labi debebat.
 Paren̄s, de quo dici poterat: virtutem ex hoc
 disce, verūnque laborem, & quô superabat
 Anchisiaden: fortunam pariter, præterquam
 enim gemina, si excipias, prælia, hostibus ad
 ultimam penè animam emovendam cruenta,
 præliis viginti justis de hoste victor, dubium
 fecit, an hostes auderent se objicere, an tem-
 pus admittere, illud certum, eò crevisse poten-
 tiæ, ac felicitatis, ut unus rem Christianam su-
 stinere posse videretur. Acerbum esset à tanti
 Parentis avelli manibus, nisi in filio invitare
 virtus, & gloria incredibilis. Quanquam enim
 Pater vicerit, quod ensem non nisi in religio-
 nis, & pietatis hostem strinxerit; filio tamen
 arrisisse fortuna visa est splendidior, dum Cæ-
 fare cum utroque commiserit, ut utrumque aut
 vinceret, aut fatigaret. Eodem Marte Bohe-
 mos, Polonos, Venetos, Dacos, Silesios, Mar-
 comannos perdomuit, adjuncta singulati huma-
 nitate, & in omnem duraturam memoriam at-
 tium Orbis encyclopœdiâ, dum miles idem, li-
 teraturæ omnis, idiomatum præter Europæ
 duorum gnarus, militaris, & civilis politica
 Princeps audiret, itaque valeret geniō, ut in-
 genium omni industria expoliret, nec parceret
 munificentia, ubi eruditio caperet dignitatem.

XII. Supputata jam 5. sæculorum periodus
 Hungaria Reges habuit plerumq; probos, pauci
 los deteriores, felices multos, nonnullos de-
 teriore fortunâ usos; habuit etiam ad aras eli-
 tos alis probitatis Stephanum, Ladislaum, Se-
 lome

lomonem; diris devotos sub atro censet calculo
 Colomannum, & sui sanguinis sitientem, & ex
 improbis susurribus suspicacem; alterum La-
 dislaum Cumana impietate pollutum. In feli-
 cium numero erant post sanctissimos illos, Lu-
 dovicus, Matthias, Geysæ ambo, Belæ duo,
 Stephani tres, Carolus I. Sinistrò notabis calcu-
 lô Belam IV. à Tartaris, à vicinis oppressum,
 vix inter insulas Dyrrachinas incolumem; Ladi-
 slauum IV. ab improbis clientibus cæsum, Ula-
 dislaum capite amissô, ac totô Oriente circum-
 latô famosum; Ludovicum II. Mohaciensi clade
 sibi, & patriæ funestissimum, Carolum II. omnes
 omni singulari notatos, nam Uladislaus co-
 ronari consuetô diademate non potuit, sublatâ
 per Elisabetham coronâ; dum coronandus iret
 Carolus, impactum in superius limen templi pa-
 triæ vexillum dissiliit fractum; Ludovicus sine
 cute natus, decalvandam prælusit elatam antea
 cristi felicibus Hungariam. Sigismundus bellis
 infelior in conjuge tulit omen, dum Mariam
 duxit raptatam, & è regali solio præcipitatam.

XIII. Coronare erat animus pios Regum ma-
 nes partim oleaginâ, partim cupressi corollâ,
 nisi calamum provocasset Maria ad Reginas,
 neque enim satis has fuerit venisse in Regni con-
 sortium, nisi in memoria manerent sæculorum,
 quam si quô argumento, certè pietatis apud nos
 meruerunt. Ostentat suas Oriens Pulcherias, Eu-
 docias, Irenas capaces Imperii fœminas, quod
 etsi maternô, aut conjugali rexerunt titulô,
 certè viriute gubernare merebantur, dum ge-

nuisse parum fuerat Cæsares imperio, nisi tantis rebus erudivissent. At ista Stagyræo ultra scœminam egerint, non illud, in quo Ducem Imperatricem Helenam sanctissimam altius pietatis excellentiâ, quâm Imperii Majestate proiectam; neque tam corporis formâ, quâm virtutum symmetriâ ante filias hominum pulcherrimam. Multum illa in Constantino, multum in utroque fecit Imperio ad religionis incrementum. Nec minora Mater Stephani Sarolta, quæ filium pietatis Ducem à cœlo accepit, majus etiam illud effecit, ut marito Giselam despontaret, quæ fratre in summæ fortunæ felicitate castissimô, matrîtô vix è tenebris idolorum erutô jam veræ latræ Apostolô lætaretur. Maximum verò quod primigeniâ pietate sua integrum meruerit ex Hungaria oriundarum chorum Virginum, sanctarumque Matronarum, quarum è secunda, posterioréque nobilitate longissimus avidis planè nobis texeretur catalogus, nisi grassata latè incendia sancta plurimarum nomina abolevissent: nunc proposito suffecerint Principes.

XIV. Agmen ducat, quæ exteras latè impletvit oras beneficiis, & famâ sanctitatis, Elisabetha cuius gloriosum adeò inclaruit sepulchrum, ut post mortem anniversariâ concursu duodecies centena millia hominum celebraverint, omnium cœli munerum abunde participes ante fata, ac post mortem, si mortua dici potest, quæ operari tanta consuevit, ac bis octonos suis cineribus ad vitam revocavit.

XV. Non longè secuta Elisabetham Isabella Lusi-

Lusitana, quæ osculô, contra morem lenocinantium his blanditiis, ac perdentium foeminarum, sanavit ægros, & signo crucis, parabili sanè medicinâ, nisi Divinâ prorsus arte hanc olim condivisset Salvator, & sacrato sanguine tinxisset. Et quia proprius umbra sequitur lucem, tanta virtus calumniæ non caruit, at neque defensore. Rex etenim calumniæ criminatum experturus, an puniturus Reginæ complacem ad calcariam fornacem mittit cum Imperio, ut exquireret è carbonariis, num iussa Principis executi? qui Divinâ curante providentiâ in vicino ad viam facello dari signum æris campani audit, quo more solet populus convocari, ingreditur, mouente intus Numine, & bulliente pietatis ardore plus DEO, quam Principi obsequitur; interim sceleris artifex exploratus casum innocentis prævenit ad subornatum rogum, illicoque frustra Deos, hominésque obtestans, innocentiam inclamans, quâ ardentissimus torrentis in morem volvebatur ignis, incitetur, in momento consumptus periit victima prostitutæ innocentiae, ut integer vitæ, sceleri primùm, tum ignibus deputatus, suam, & Reginæ vindicaret innocentiam, Regem in antiquos connubii revocaret amores. Addidit hæc superum cura stimulos Reginæ ad illibatam innocentiam tumulo, quin sideribus inferendam.

XVI. Andreæ III. tertia fuit Elisabetha, quæ quia morborum fuit ergastulum, patientiæ templum è suo struxit corpore; attamen corruptibile pondus adeò in saniem abiit, ut horrorem fa-

ceret hominibus rerum pulchriorum percupidis;
nec indonatam DEUS reliquit Principis fortitudinem, nam à morte statim ipsa putredinis omnis expers, odorem sparsit optimum, & velut è tenebris effulgit inter stellas luna minores, cœlesti sole plenissima. Elisabetha quarta, eaque quadrimula in insula leporum alium à Stephano V. Patrem invenit, ubi cum admodum pietatis in socium agmen sparsisset, Mediolanum abiit ab arcto Hesperiis illatura oris ignem pietatis.

XVII Tantarum invecta vestigiis Elisabetha Ludovici gloriofissimi Regis Mater, quæ pietate, an præstaret munificentia, dubium reliquit; nam prioris ardoribus acta sanctissima Italæ monumenta adire statuit, sed alterius institutis imbuta Proceres nobilissimos, Præfules sanctissimos, lexitissimas matronas in pietatis agmen solum adlegit; quidquid sacri honoris, aut Christianæ magnificantiae pietas alit apud Italos, invicit, donaria fecit ubique maxima, ingentem pecuniae vim egenis distribuit, ut omnis ætas, conditio Reginam sibi advenisse Sabam venerantur; sed una præcæteris eluxit vitae sanctitas, & Divinæ ardor charitatis, cui demum soli in acceptis referre potuerit filius felix Imperium. Et sanè fortunatum fuit Elisabethæ nomen, nisi Sigismundus Rex infensissimam ejus nominis conjugem habuisset infelicem.

XVIII. A felicibus ad Beatrices, ad Margaritas, ad Marias calamum auferte. Beatrix Andreæ Regis conjux, in summa dignitate, cæteris modestiæ laude palmam eripuit, una illi cura

San-

Sanctorum lipsana, quæ largissime, & Orientis ab
 oris conjux attulerat, & Romani Patres submi-
 ferant, ornare. Virō denique ad certaminum
 præmia evocatō dedignata inferiorem, additā
 ad modestiam animi celsitudine unum se dignum
 invenisse rebatur sponsum virginum, cui se de-
 vovit Gemulæ monasticen professa, & mode-
 stiam singularem. Margarita Scotorum Regina,
 in felici ad sanctitatem Hungariæ solo nata, &
 cum exule Patre educata, trecentos indies refi-
 ciebat pauperes, quibus genibus flexis cibos,
 potūmque ministrabat, procumbens ipsa prom-
 ptior ad ierviendum, quam alii in pedes ericti.
 Margarita altera, quia in tempestate nata, pul-
 chrior, Belæ IV. filia vix triennis in concham
 cœnobii se recondidit, ne maculis pateret; trans-
 vecta sylvas, hæcne, inquit, mundi miracula,
 & splendores? risit vanitatem; & Bohemiæ, ac
 Poloniæ Regum thalamos perosa totam se virgo
 Virginis cultui, virgineo suo corpori afflictionibus excolendo, totam denique JESU de-
 spondit, etiam nasum truncare parata, quam
 alteri nubere; digna certè, quam sponsus, ut è
 cœlo monstravit, coronaret. Maria Emerici Re-
 gis Paren's suppari pompa, qualem descripsimus
 in Elisabetha Ludoviciana, sacrata vestigijs, &
 sanguine Christi loca invisit; sed antequam ad
 sepulti venisset monumenta, pio immortua iti-
 neri, Ptolomaide, ad ejus transivit redivivi am-
 plexus, cuius sepulchrum non licuit videre, planè
 felicior, atque qui cortice amissò nucleum capit.
 Mariæ alteri satìs fuerit magnô natam fuisse Lu-

dovicō, satis Cæsarem habuisse conjugem, satis denique, quod nulla apud Hungaros, martiale genus, habuit, Regem fuisse appellatam.

XIX. Præter purpuram rosarum, habuit Hungaria candidissima virginitatis lilia. Salomæa Regiæ formæ virgo, trimula à Lescœ Patre in Hungariam missa, sanctos ut cum lacte sugeret mores; quos ubi in eam extraxit ætatem, ut Colomanno Duci, Andreæ II. filio castissimo, simul & nobilissimo juveni, in sponsam deligeretur, consensit in oblatas nuptias, at non daturas mundo sobolem; nam votam à se virginitatem Colomanno exactis nuptiarum solennibus aperit, & virum in sua pasta habet, iisdem ergo sacrī initiatur, vivitque virginem, dum celerante DEO funera, Salomæam sibi, DEOq; solam deserit; & uxor inviolata mundum, cuius acerbas vices licet pullâ lugeret media in purpura, à luctu tamen ad chorum lætantium candida mente virginum transiit, è quarum corona misit animam instar lucidissimæ stellæ splendidam; sic nimirum flores sunt campi sidera, ut è terrestrium virginum stellis cœli lactea componatur.

XX. Huic vicinam addite Hedwigem Elisabethæ Thuringiæ materteram, ipsos triginta annos mariti consensu castissimè degentem, viorum sanctorum, ac foeminarum vestigia osculantem, lingentem, egenorum ori admovendum poculum prægustantem, ne quid noceat matrem orphanorum, tutelam viduarum, peregrinorum hospitem, captivorum redemptricem,

cem, vadem obæratorum, communem omnium portum, refugium, patronam, neque immeritò, cùm suas illi porrexerit Crucifixus DEUS benedictiones. Nec minor matre filia Gertrudis, præter alia maternæ pietatis exercitia, triginta annos omni carnium esu abstinuit, velò Elisabethæ sanctæ pro pietatis vexillo usa, tunc jucundissima, cùm illud fronti circumdaret. Gunegundem his addere placet ante finem, quæ initio vitæ vix nata salutavit Dominam cœli & Hungariæ : *Ave Regina Cælorum, Mater Regis Angelorum.* Lactens jejunare noverat, dum uberibus admota quartâ, & sextâ feriâ unâ satura cœnâ, nihil amplius degustabat; Boleslao adamata Polono attulit sponso agnomen pudici, cum quo quadraginta ipsos annos immaculatum thorum coluit, quod ejus esto laudum compendium.

XXI. Pro coronide coronatarum apponere fas esto Sibyllæ Hungariæ Reginæ sanctæ curiositatis exemplum, & fortunam. Refert Novarius Lectionum sacrarum n. 1260. Sibylla hæc non vanô veterum acta entheô, sed devotionis ignibus, postquam Palæstinæ vestigâsset oras, in locum incidit veterum Patriarcharum, è quorum aliiquid ossibus in pietatis augmentum vellet auferre; de venia proinde Soldani Babyloniæ latomos convocat Saracenos æquè, & Christianos, in valle Josaphat foderent, imperat; nec inani impendiô, nam tumulum inveniunt è lateribus compositum: apertô sepulchrô cadaver aspiciunt miræ magnitudinis, & mirabi-

lioris compositionis. Erat illud integrum cum prolixa barba, & capillis maximis. in pellibus ovinis, & integris sepultum, & super caput tabulam, in qua literis concavati ad modum sigilli Hebraicè inscriptum fuit: Ego Seth ter. tiogenitus filius Adæ credo in JESUM Christum Filium DEI, & in Mariam Matrem ejus de lumbis meis venturos. Totidem verbis Novarinus. Nimirus designabatur Mariani Regni Principi Mariani nominis revelatio.

C A P U T VIII.

Fines, accessio, & imminutio Regni Hungariae.

I **H**ungaria ab ingenti corpore Imperii eadem fortunâ, quâ Hispania, Gallia absissa, diu commenantum nationum velut torrentibus inundata, à Pannonicarum nomine descivit, atque in unum compacta corpus regnum fecit, magnitudine quidem terrarum nec maximis æquandum, gloriæ, ac fortitudinis nec magnis illis inferius; cœlô temperatō, optimisq; subiectum astris, atque ut Sigismundi Gæsatis uti libeat encomiō, quod sic ipse ad Joannem XXIII. describit: Peculiare Regnum nostrum, gloriofa videlicet Hungaria, locorum amoënitate conspicua, situum habitudine speciosa, exuberanti rerum affluentâ copiosè pollens, delestantib[us] indigenis, & advenis exhibet incolatum, nulli in Orbe terrarum jucunditate, exultatione, divitarum magnitudine secundum, ad sua.

suavitatem, delectabilitatem, & felicitatem comparatum. Ambitu suō in longitudinem sexaginta quinque, in latitudinem penē totidēcū milīaria complectitur, quadratā formā, itā ut latus aquilonare perpetuō tractu montium, Polonos, Russos, Silesios arceat, meridionale Croatiā, & Sclavoniam Dravi, Savique ripis terminet; ab occidente Austrā, Moraviā, Styriā claudatur, illabente ab Austria Danubiō, ac propè medianam secante; ab Oriente Transylvanā, Valachiā protegatur. In ulteriorem, & citeriorem dividitur, si Danubiō metiaris, itā ut citeriorem voces, quae ad meridianam incolis partem Danubii, ulteriorem, quae septentribus vicinior accedit; unde etiam Ultradianubiana ista, illa Cisdanubiana appellata. Utraq; Provincias minores continet 50.

II. Ubertatem soli Hungarici nemo est, qui non laudet, ut non immeritò post illatas, acceptasque clades, post peragratam, armisque tentatam ulteriorem Europam Hunni in Hungaria confederint, eorum fortunam Numine disponente, ut dum Italicum, & Gallicum solum quærerent, vincendo non retinerent, ne, quod optimum quodammodo esset, desererent. Barclajus brevibus eam describit; sed ponderosis: *Omniproventu felix solum, uberrimas altis segetes, pascuorum ingentium fidem exteris gentibus facit, venalibus per Orbem armentis, paulo minus centum millibus boune in singulos annos Germania transmittit, & ad vicinas huic terras. Vinum generofissimum est, nec multum illi dispar,*

quod in Hispania gignitur. Cælum ad valetudinem commodium, nisi quod autumni intemperies morbos creet, maximè hospitibus sacerdos. Varii generis, pretiique metalla in visceribus tellus habet, aurumque interdum cum arena jutii volunt, feracissimi piscium, quos ibi nimia copia viles facit. Paulò distinctius Petrus Bizarrus eadem prosequitur: Nulli regioni terrarum cedit, hominum labore, pecorum fecunditate, ubertate soli, ac metallorum copiam. Cæli præterea benignitate, ac pulchritudine situs omnibus regionibus suò jure potest anteferri. Tellus rerum omnium copiam à natura donata, ubi argentum, saltem, lapillos, colores, effodere liceat. Frumenti, pabuli, leguminis, & pomorum abundantiam præstat. Neque deest copia piscium, & cupri confluens; in plerisque fluminibus ramenta optima reperiuntur, quin & in vitibus aurum quandoque legunt.

III. Amurathes apud Callimachum ad subiugendam Hungariam suos ita hortatur: Hacenus cum natura lucrati sumus, in confractis, præruptisque Bulgariae, & Rasciae montibus. Fames, sitis, labor, desperatio vincenda fuit. Vimus non aliâ mercede, quam ut beatæ Hungaria opulentiam aliquando attingeremus. Hinc jam militia nostra præmia, hinc gloria innititur. Ad portas perdentum est, quibus patefactis per loca naturâ ipsâ, & humandâ cultu amenissima ingrediemur. Hominum, iumentorumque alimenta passim non ad necessitatem, sed ad luxuriam cum ubertate soli temperies cæli, aquarumque abun-

*abundantia suppeditat. Quidquid alibi operosa cura
vix educat, illic fronte fert suâ terra benignitas.*
*Eadem Wernberius, eadem P. Fournier, imò
quotquot de Hungariæ situ, scripserunt autem
plurimi occasione bellorum præteriorum secuti
belliduces Cæsareos. Hoc unum esse nonnullis
votum, ut homines darentur, qui tantâ felici-
tate fruerentur; imò verò hominibus opus esse,
qui rebus tantis cum moderatione vescerentur,
aut quibus itâ pax colenda daretur, ut suavif-
simô gusto pacis frui possint. At ut decantatam
gentibus omnibus felicitatem in epitomen da-
tam videas, en ordinem elementorum.*

IV. Terra parens rerum frugibus exuberat,
nam sæpè frumentum vilius in melius convertit,
& eâ copiâ, ut incolæ nunquam in annos solli-
citi, novis frugibus vescantur, suum à singulis
annis pensum accipere contenti, nisi mala tem-
pora futurorum providentiam docuissent; tri-
tici sapor qui optimus; pascua deinde omne
jumenti genus dant ingenti numero, ut vicinis
circum provinciis suppeditet, quidquid œcono-
micam curam exercet; idque seu partes, quæ
latissimis effusæ campis, sive, quæ in colles as-
surgunt, consideres. Vini nobilissimi copiam
omnis plaga profert, cuius excellentia, & gene-
rositas in Tokaino, & totâ plagâ submontanâ,
quæ unâ parte Carpathios, alterâ Russicos mon-
tes terminat, in agro Syrmiensi, tractu Quin-
que-Ecclesiensi, Soproniensi, Posoniensi, Agri-
ensi, Budensi, Varadinensi progerminat, ut vix
inter plura delectum facere possis, dum alte-

rum ad alterius invidiam quandam generositate assurgit, fidemque rarius invenias, an non ex optimo sit propinatum promontorio. Hæc in superficie, non pauciora è visceribus suis effundit bona tellus, nam aurum totâ Europâ nobilissimum, nec inferius illô, quod Tagus aurifer, aut Gangeticæ volvunt arenæ, Mexicique vident regna, & hujus indicia facit cinnabaris, colorum, qui rubri sunt, elegantissimus, quod locis quidem pro auriferorum copia montium paucis eruitur, in omnes deinde regiones æquō pondere distrahitur; argentum deinde, cuprumq; præstans, unum ferrum Styriaco mollius, ut gloriari malit solum hoc excellere in optimis, quam in singulis, quemadmodum genius hominum in artibus optimis, virtutum, scientiarum & armorum, quam ad inferiora his studiis emavult demittere. Pomorum omne genus, sapore, odore, colore, mole ipsâ nobilium fœcundissimum, sicuum insuper, & citrinorum eâ parte, quam in Syrmium declinat ferax.

V. Aër, & aqua elementum utrumque humanis usibus, aut necessarium, aut perjundum eos incolis porrigit favores, quibus pares alibi fortè, maiores nullibi exigas; nam si navigatione animum distrahere libet, habet lacus maiores geminos, habet dominatorem aquarum Danubium, habet amnes Tibiscum, Savum, Dravum, Arrabonem, Vagum, Granum, Hernandum, Ipolim, Sajonem, Bodrogum, Samusium, Marusium, & quæ minora sunt, in quibus auni volvuntur arenæ, volvuntur pisces, Tibi-
fco

sco quidem tantâ copiâ, ut ferè tertiam flumi-
 nis partem facere videantur; imò ubi jam pro-
 ximè in Danubium se exonerat, penè infinitos
 vehit pisces, cuius illud est unum argumentum,
 quòd accolæ exundantem sepibus præstruant,
 quas pisces reducente se ad terminos Tibiscō,
 agmine factō subvertunt; alterum, quòd in
 lacubus relicti computrescant, & latè piscium
 putorem diffundant, postquam porcorum ex-
 amen suo abdomini sat̄ litaverat. Licitantibus
 adeò levis est merces, ut parum interfit, ven-
 dant, donentve, & cùm vendere nequiverunt,
 clanculūm se subducant, relictis foro piscibus,
 quod ne faciant, multâ coercentur. Et quan-
 quam Husones vasta Danubii, Savi, Tibisci do-
 minentur arenâ; montana tamen Scapusiensum,
 Liptoviensum, Turoczenium regio trutas ma-
 jores, minorésque, fundulos, & alios saxatiles
 pisces in deliciis, & copia habet. Habet & il-
 lud, quòd saluberrimam potui ministret aquam,
 quam plana regio desiderat; quas tamen potui
 non habet oportunas, habet sanandis corpo-
 ribus quā exquitissimas, thermas enim Buden-
 ses, Trenchinienses, Püstenienses, Bajnocsen-
 ses, Stubnenses, & ut celebres minus omittamus
 omni comitatu fermè suis provisas; denique
 minerales, quæ cuprum vehant, & brevi tem-
 pore in ferrum convertere videntur. Neque
 his immorandum specialibus jam antea typis
 mandatis. De aëre addendum illud, quòd in
 montana quidem regione ubique saluberrimus,
 in planiore æstate summâ calidior, & nimium
 levis,

levis, ibidem tamen hyeme frigidissimus, unde non facilè plures alibi, quām vastis Jazygum campis, & gregatim populantur lupi. Alit aët hīc avium genus omne, copiā non minore, quām terra pecus, pisces aqua: rapacium hīc aquilarum ingenti magnitudine, ac primā domicilium; Attagenes, perdices, urogallos, phasianos, turdos, merulas, & quidquid sapore mensis honorem, cantu auribus parit jucunditatem. Nec minus feris, atque altilibus abundat, nam ursos Russorum, & Carpathi montes, cervos Matrenses, sylvæ Baconia, & Vertesia; apros, damas, cervosque, lepores, vulpésque omnis ager; quanquam non desint plurimi, qui persequantur.

VI. Neque tamen suā sibi visa est felicitate posse bearī Hungaria, nisi alienā in suas delicias terrā, & populō pasceretur; non eō quidem consiliō, ut aliena peteret necessitate, aut avaritia, nam liberali semper fuit ingenio, sed ut pluribus curas suas, & beneficia dispartiretur; atque imprimis Transylvaniam sui juris facit; quanquam enim cognatis armis una Hungarorum natio, & Daciam, & Pannoniam occupaverit; fidei tamen lux, quæ priùs illuxit Stephano, quām ejus avunculo Gyulæ divisit Hungaros Pannonios à Transylvanis, dum hi Duce cum suo pertinaciūs tenebras adamassent, & novi eō idolatriæ tempore Andabatæ contra lumen veritatis, & lucis incolas arma sumpsissent. At ubi videns Stephanus, hærentem in tenebris vicit Julium, quid verò fuit prodigii cæcum à vidente vinci? imò verò fuit prodigi-

um maximum, quia Divis auxiliantibus victi sunt, Gyulam quidem cum conjuge, & liberis Christi imperio, Transylvaniam universam Regno Hungariæ adjunxit. Quanquam verò satis fuerit argumenti eodem cum Hungaria Rege Transylvaniam gubernari, quia cognatam, & iisdem natam proavis, ipsa nihilominus addidit regio momentum, quæ auri, vini, frumenti, salis, peccorum, omniumque ad usus humanos necessariorum fertilitate Hungariæ simillima. Post adjunctionem sui gubernabatur à Regibus Hungariorum per Gubernatores, vulgo Vajvadas, saepius etiam per Duces, dum plures Regii Hæredes Ducum nomine tertiam Hungariæ partem possidente; donec Joannis Interregis filius Joannes Sigismundus nomine Principis obtinuit provinciam, tum Stephanus Bathoreus, ac denique Sigismundus filius Christophori, qui Rudolpho Cœsari, ut Regi Hungariæ, eandem resignavit, à quo illis decemviratus Praefectus, demum variis discordiis, varios Principes habuit, donec nunc iterum ad Regem Hungariæ rediit, sed privatis rationibus, & Procerum guberniō gubernatur. Illud in accessu, & recessu Transylvaniæ meritò observandum, quod quemadmodum à principio à cognato sanguine segregavit se se, ob discordiam religionis, & superstitionis, ita postremis temporibus nunquam se divisit ab Hungariæ vinculo, donec se ab Ecclesia Romana segregaverit, & in eandem secum calamitatem trahere voluerit, in hæresim nimirum Duce Bethlemeo; sed pietas, & veritas sine validior est, ut jam

jam Hungaria ab erroribus resipiscens, secum eandem retraxerit ad Austriacæ domus regimen, & tutelam.

VII. Post Stephanum, paribus, aut majoribus Hungariam auxit incrementis Ladislaus, nam Croatiam, & Sclavoniam Hungariæ adiecit, Dalmatiam certè si non accepit, occasionem dedit corpori Hungarico adjiciendæ. Quę tamen jure adierit Divus Rex tantæ plagæ dominium, longa est controversia; scriptores domestici hæreditate eas obvenisse, nam mortuō Zvonimiro Rege, an Duce, soror S. Regis defuncti Ducis conjux fratri tradit, à quo contra populares fömeni dominatūs impatientes defensa, ac in Regno conservata fuit. Archidiaconus Spalatensis aliter accidisse rem memorat, nam defunctō sine hærede Rege Svinimirō, Magnates quinque sibi solium vindicabant; unus eorum à corrivalibus multis attritus dannis, nec aliunde sperans auxilium ad S. Ladislaum confugit, qui Duce dicto Magnate, nomen viri non tradunt scriptores, inductus, valido exercitu usque ad alpes ferreas occupavit nemine resistente; in alpibus cùm singuli se opponerent, singulos, divisosque Rex vicit, occupatus omnia usque ad mare, nisi Cumani Regnum Hungariæ invasissent, ad quod defendendum coactus est festinare, recepitque etiam spolia affectis gravissima clade Cumani. Paulò plus habet instrumentum Monasterii Jadrensis S. Mariæ, quod habet ab eodem Rege Almum nepotem suum Croatiae Regem constitutum esse. Credibile est, & sororem le-

gasse,

gässe, & Magnatem sororis partes tuentem ad Ladislaum confugisse, ac sic geminô hæreditatis, & armorum jure ea regna ad S. Regem deve-
nisse; mansitque sub corona Hungariæ, etiam domitâ sub Ludovico I. & Sigismundo quorun-
dam Procerum se dividere volentium factione;
donec Turca partem utriusque magnam sibi vio-
lentè usurpasset. Dalmatia tamen universa sub Colomanno primùm adhæsit, postquam Jadram
is intraverat triumphalis; evicit autem Coloman-
nus partim armis, partim liberalitate, & inge-
nibus privilegiis in populares clargitis, sed ite-
rum, atque iterum ad Venetos deficienibus oc-
casione deficiendi præscidit, dum Ordelaphô
Venetorum Duce victô præsidiis coërcuit; va-
luitque dexteritas usque ad Ludovicum I. qui deuo Dalmatiam à Venetis receperit, ac post
hunc usque ad tempora Turcarum; qui itâ lace-
rârunt Dalmatiam, ut illis pars, pars Venetis,
pars Hungariæ Regi remaneret; itâ nimirum
bello partum, bello fuit disceptum.

VIII. Lodomeriam, & Haliciam Bela III. ad-
jecit Rex pace, & bellô fortunatus, hic præter Dalmatiam contra Venetos fortiter assertam auxilia ab Ulodimiro à suis pulsô, vel certè contia Casimirum Poloniæ Ducem defendere non po-
tentे postulatus misit Andream filium Ducem Hungariæ, qui Haliciam Russorum, & Uluda-
miriam sibi vendicavit, à quo uti usque ad Lu-
dovici tempora fuere Hungari Reges ejus Regni
tenacissimi, itâ non amplius, nisi forte in titu-
lis ejus nomen reperitur. Felicius, an infelicius
adhæ-

adhæsit Hungaris dignitas Cumanorum Regis; felicius certè quia gentis ad fidem Divinam revocandæ gratiâ, nam Cutenum eorum Duce à Tartaris ejectum sedibus suis recepit Bela IV. in Hungariam, & terras assignavit omni fruge uberrimas, eodemque voluit Hungarum, & Cumanum nomine censeri, imò complura Cumani indulgere, donec eadem clade attritis utrisque, nomen adhæsit Hungaris Cumanorum Regis, & Palatino Judicis Cumanorum. Ante Cumaniam Bosnia fuit pars corporis Hungarici, quam Bela cæcus obtinuit, ac successores Bano Prorege gubernârunt, donec à Rasciæ Despote Stehanò occupata, eoque ejcto ad Stephanum Caroli Regis fratrem nomine principatus devinit; deinde à Ludovico I. Tvardô Rege constitutô, qui & filiam Ludovico uxorem, & in Tartarorum expulsione auxiliū dedit, mansit regnum, donec à Turcis occupata est, & à Matthias Corvino recuperata, iterumque Nicolaô Ujlakiô Rege constitutô, tandem à Solymanno vi oppressa inter Hungariæ scissiones, & turbas ab eadem est divulsa.

IX. Quemadmodum frustra Lodomeriam quæsieris extra Russiam Haliciæ, vel Galliciæ Russicæ conjunctam, ita Ramæ nomen ut inveniant, & regnum, in Palæstinam ad loca sancta peregrinantur scriptores, fortè evocati voce illâ, quæ in Rama audita est cum ploratu multo, & ululatu Rachelis, atque inde cum Andrea II. nomen regni novi reportant. Nam imprimis nec Rama civitas Palæstinæ ulli unquam regno nomen dederat.

dederat, quā ergo ratione tam subito Andreas regnum creavit; deinde ante Andream II. Hungariæ Regem Ramam titulis suis adscripsérunt Reges, cùm tamen nemo antè Palæstinam belo petens intraverit. Rama ergo pars est Bosniæ à flumine Rama in Naronem influente dicta, quod olim regio illa mediterranea à fluvio Bosna tota Bosnia dicta fuerit; uti communi nomine Mæsia, quæ in inferiorem, & superiorem divisa nomen dedit illa Serviæ, ista Bulgariæ. Rama, quæ loco Bosniæ ponitur in titulis Regum Hungariæ, venerit in potestatem Hungariæ Regum eâ tempestate, quā Stephanus II. à Pyrisca Hungara indignius tractata à conjugé Græcorum Imperatore contra ejusdem maritum Joannem Comnenum concitatus fuit, bellisque gestis in fœderis cum affine descendit.

X. Servia sub Salomone primū Rege adhæsit Hungariæ, sub Sigismundo demum factâ permutatione, & assignatis Despoti Georgio in Pannonia amplissimis ditionibus cum metropoli sua Tauruno Hungariæ corpori est illigata; mansitque, donec sub Ludovico II. Belgradum à Turcis captum in eorum potestate annos, si quatuor demas, ducentos gemuisset. Infra hanc Bulgaria sexaginta milliarium longitudine, non sequâ latitudine procurrit, adhuc Ethnicis Hungaricis tributaria, sed sub S. Stephano tumultuantes vietō Duce eorum Ceā in ordinem redacti sunt, iterum Stephanò IV. repugnantes domiti, denique regio tota à Ludovico I. plenissime in potestatem tum imperii, tum veræ religionis à schi-

schismate redacta multas Hungariæ vires hauit, ac sanguinem, dum pro ea contra Turcas defendenda laborandum perpetuò fuerit, donec triplici clade Hungari eam Turcis concesserunt. Inter has, & Hungariam est Rascia, Syrmio nobilissima regione, urbe, Episcopatu dives, communi clade cum Sclavonia, quam terminat Turcis servivit. Valachiam ultimò locò adjicere, quæ longissimè à corona procurrit, ea est vel minor inter Alutham, & Stretum amnes, vel major, & Moldavia dicta ad ostia Danubii, Russiam & Poloniā excurrit, Bessarabiāque terminatur, in qua Tartari Præcopenses regione dominati contra reliquorum Tartarorum incursionem præsidium præstant. Corruptò Latii utuntur idiomate Valachi, quorum primores è Latio oriundi, missi fuerant à Trajano ad excolandam terram, & fruges exercitui Romano parandas, quem Cæsares perpetuum ibi alebant contra erumpentes è Sarmatia, reliquóque septentrione nationes. Ab Hungaris Regibus Vajvodis regabantur, postea tributarii Turcarum.

XI. Horum omnium regnorum, aut provinciarum altum erigebat caput Hungaria, ut dum inter Occidentis, atque Orientis imperia, medium tenebat oram, medium nihil seciùs fundabat imperium, & una attollebat solium, ut sicut regni caput Buda incincta collibus confidet veluti in solio regali, & latissimam intermediò Istrò despectat planitem, ità Hungaria ipsa solium videatur, cæteræ vero Provinciæ reliquam p. latii Regii conficiant Majestatem, cuius terra-

nūm ambitus, si levissimō subjectam calculō libet aspicere, longitudine procurrit ad quadrin-
genta circiter viginti milliatia, quæ Germanica dicimus, latitudine per ducenta septuaginta quinque, ut ambitus universus ultra millesimum trecentesimum septuagesimum se se extendat. Reflecte jam ad magnitudinem tuam oculos, & si pudor, dolorque sinunt, Hungaria mentem eleva; quibus tandem periculis in atram adeò egestatem decideris, ut non tua tantum, sed te ipsam vix in patria deprehenderis. Causas quidem amplitudinis tuæ, & accessionem satis as-
sequeris, ruinarum pudet recordari. Transylva-
niam tibi religio, & jus consanguinetum, Dalmatiam, Croatiam, Sclavoniam integerrima Ladi-
slai sanctitas, Cumaniam hospitalitas, & zelus Christianæ religionis, Bulgariam, Bosniam, fi-
des, & societatis vinculum, Galliciam, & Lodo-
meriam susceptum miserorum patrocinium, Va-
lachiam ipsa tua magnitudo rapuit in tributariam. Omnia sanè bonis artibus, imò optimis compa-
rata; sed quomodo bene parta tam misere per-
didisti. Aves, audes nōsse! accipe.

C A P U T IX.

*Bella intestina, singularia certamina,
stratagemata.*

I. **C**oncordiā res parvæ crescunt, discordiā ma-
ximæ dilabuntur. Quō majora sunt cor-
pora, fortiore nexu opus habent; animorum
unio est potentia regnum. Quod si in rebus
priva-

privatis quot capita, totidem sunt & sententiae,
 quot erunt inclinationes, dum pondus regno-
 rum ingenia premit. Quot enim verò sunt, quos
 non tam regni commoda, quam privatæ ratio-
 nes, odia, honores in transversum rapiunt;
 quam pauci Scipiones, qui salutem publicam præ
 privatæ habeant commodis. Nisi Cæsar gloriā,
 Pompejus felicitate minus feratur, nunquam im-
 perii consistet magnitudo, sed quando ille ferre
 parem, iste superiorem non patitur, mutuis Eu-
 ropam. Asiamque committunt odiis, & in co-
 gnato sanguine velut navale prælium instruunt
 ad posterorum horrorem. Hungaros ipsa indi-
 les ad maxima gerenda, consiliis, viribus, felici-
 tate instructa præcipitabat nonnunquam, ali-
 quando fides, patrocinium in contraria traxit,
 immo ipsa liberi imperii felicitas captivos duxit
 in studia partium, & factiones, dum ab ortu alter,
 alter ab occiduo, ab Austro hic, is ab Arcto
 petebat Regem, & inferebat, o superi! quot Hun-
 garorum sanguine purpuratum dicam, an fordi-
 datum! Pestanô Regem agrô eligebant ordines
 omnes, sed ipsa inter arma, ut ad prælium,
 non ad comitia convenisse viderentur, quibus
 demum consecatis Sacro-sanctam adorabant po-
 testatem. Sed illud horret oculus usurpare, quod
 in libello de Republica, & statu regni nostri typis
 Elzeverianis excusô deprehendere licet: E tan-
 te honorum Regum numero paucos fuisse, quibus
 non contra subditorum surrum contumaciam fuerit
 dimicandum. Ad quos quidem magnam ape-
 ruit rimam Andreæ Jerosolymitani lex, quâ suis
 poter-

pote statem dedit sibi violento resistendi; at authoris mens in eam videtur pro lapsed sententiam pro ea ætate, quā in plenam abiēre discordiam, incertōque ferebantur impetu Turcā patriæ casus impellente. Atque si etiam Majorum historia Regum id evincat, quid mirum esse potest in tanta nationum, animorū inque varietate, imò finitimorum incursibus, de quorum nonnullis Petrus Révaius in suis centuriis apposuit, quod in omnem intenti fortunam nunquam coluerint fidam pacem; atque ut in diem prodeat, unum, alterū inque testimonium veniat in memoriam, è quibus elucescat affectibus quidem actos fuisse Hungaros, sed persæpe ab exteris impulsos, neq; ita Reges optimorum Principum implevisse munus, quin aliquando mererentur odia subditorū.

II. Sanctissimi, fateri oportet, Reges domesticæ gesserunt bella, Stephanus in Gyulam, in Cupam, in quatuor viros cogi ad Christiana nefios ideo in vitam Principis conjuratos, at quis aut sanctissimum Regem pro salute subditorum pugnantem culpet, aut subditos à veteri superstitione avulsos, ac repugnantes levitatis arguere; mutare cultum Deorum res est, quæ alias maximè arduæ, & quamquam in pejus uti in hærefes nostri temporis pronissimus esset causus, ad severiores tamen religionis Christianæ institutiones per impietatis præcipitia ruentes animos revocare, non est humanæ, at potentiae Divinæ negotium. Ladislaus in Salomonem arma tulit rogantibus Proceribus, quin imò urgente Salomone, qui Vido incitante non cre-

debat se fore beatum, nisi illos videret perditos, per quos pulcherrimam de Gracis, & Bessis retulit victoriam, & Serviam Hungariæ Regno adjunxit. Pugnabat finè dubio pro Salomone triplicata coronatio, sed dolebat fratribus in pacem propensiissimis Hungarorum misera proditio, & oppressio, in eoque dignissimi laude, quod neuter quidem coronam imperii patrii suscipere voluerit, uterque tamen necessitudinem sanguinis post salutem publicam habuerint. Dolebat acerbissimè suo corpore hebetare ferrum, quod hostium cervicibus immergere decuisset.

III. Atrocius in Petrum sœvierunt sui cives; sed ipsò irritante; quod enim hoc consilium, è qua parte prudentiæ, Proceres, quorum beneficium regnabat, in ipso regnandi initio aspernari, per ludibrium salibus proscindere, palam contemnere, Hungariam ab angore dictam exteris, contra quos tot cladibus dimicaverunt, velle subjicere, ac etiam stipendum Henrico III. patrō suo pendere; Henrico ipsi prudenter admonenti, imò & S. Gerardo Csanadiensi Episcopo monitori asper, ut Hungaris jura, decreta, judiciorum integrum vellet rationem, ac justè imperaret, non obedire; sanè etiam ad omnes Christianæ mansuetudinis leges formatos animos ista exulcerâssent, ne quid dicendum sit de populo recenti religione imbuto, ac vetustam audaciam non penitus exuto; effecerunt ea omnia, ut primùm majestatem, deinde oculos, vitam denique illi eriperent.

IV. Vix meliore sub sidere Hungaris illuxit
Colo

Colomannus. Almum fratrem intestinō is persequutus bellō, in cuius cædem, & damna Ministros habuit Magum, & Bothum quendam, canibus deinde prædam factum: ubi non aliorum fuere discordiæ Procerū, quām qui Almum Ducem titulō clientelæ sequebantur, eō quidem consiliō, ut modò civium parceretur sanguini, primū Principes decernerent singulari certamine, tum etiam Almus cederet imperio, & Colomannus supplici oratione, genuūque amplexu placaretur; & deliniri potuisset, nisi bella foret, & fatale malum Princeps improbus; effugit præterea violentas suorum manus, cui quietè obtemperabant Hungari, quanquam variis expeditionibus fatigati. Non effugit suorum rabiem Ladislaus Cumanus, at non ab Hungaris, at ab impuris, & impiis Cumaniis, id est, nequitiae suæ clientibus interfectus. Nec suus Belæ cæco defuit refractarius, nam Borichus Colomanni Ruthenæ uxoris spurius Ruthenorum favore, & auxiliis regno illatus à legitimo Rege vietus, vivere tamen permisus intercessione S. Ludovici Gallorum Regis, ad cuius pedes con fugerat pro asylo, quem fortè secutus fuerat Lambertus Comes, Regi rebellis dum jam supplex accideret Belæ Regi, frater indignatus antecedentem perfidiam, sedis fragmine fratrem prostravit exanimem, demonstrans facilius esse Hungaris sua fævire in viscera, quām Regiam lædere Majestatem.

V. Posteriora sæcula magis lacerârunt, & infamem habuere Hungariam, nam pro libertate

electionis, & Wenceslao pars potior arma suscepit, quorum Dux Matthæus Palatini dignitate, & magno montanæ Pannoniæ tractu potens; donec factionis alterius Patronus, & Dux Carolus victo ad Cassoviam Matthæo, maleque dissipatis duobus Regibus Wenceslao per ignotum siccarium Olomucii confosso, & Othonem primum in carcerem, deinde in exilium pulsato, Regnum a civili bello inchoaret eam laude, ut infeliciter aditum, gubernaret feliciter, ac absolveret Regnum; geminas autem initio adiit insidias; Feliciani cuiusdam Comitis, qui quibus ortus ab oris, nam nomen Hungarum fuisse prohibet, Regi, ac Reginæ inter geniale convivium cædem designat, at scelus in authorem rediit, cuius ipse atroces cum tota familia poenas excolvit; alteras a Buzarado Præfecto Valachiæ, contra quem cum arma movisset Rex, ac faucibus montium interceptus, supplici veniam dat, ac simul abeundi veniam impetrat, sed in angustiis deprehensus a Buzarado editâ ingenti Cumano-rum militum strage vix cum pauculis elabitur, DEO plectente Principem, qui leves, ac privatas offensiones bellis ulciscitur, & immoderata adulatorum consilia pro libidine consecutatur. Sed sapuit iis casibus ad tantam authoritatem, ut ejus arbitrio steterint Bohemiæ, & Poloniæ Reges longis antea casibus, & bellis dissidentes.

VI. Fœdior casus est Mariæ Regis, erga quam incredibilis Hungarorum fides, ingentibus Patris conciliata meritis eò suorum adduxit consilia, ut pro coronata Principe, inauspicato coronati

è Neapolitanorum Regum sanguine Caroli parvi sanguine manus inficerent, & sub amicitiae nomine Regem raptâ coronâ redimitum enecarent, quanquam verò pravâ simulatione patrocinii, ambitu, calliditate, injuriâ sanguinis, & Ludo-vici regnum adierit, occasionem tamen dedit turpissimæ, quā in suos notantur Principes Hungari barbaræ crudelitatis, tūque pars factionis altera in sanguinem Regum arma barbara expediret.

VII. Sed hactenus veniam mereri potuerunt, at in Matthia Corvino p̄oriculum planè adiisse videntur fidei juratae. Quid enim poterat meritorum exigi amplius, quām Corvinus Pater posuerit, ut sanguinem illius venerarentur; quid poterat Hungarico imperio dignius optari, quām Princeps adeò exquisitus, ad omnes militiæ, & regendi artes excultus; quid denique cogere potuit, ut sua damnarent vota, & quem ex carcere ad thronum unanimi consensu exercerant, à fortunæ apice in profundum præcipitare, & cùm sui sanguinis potentissimum domi haberent Regem, repente mutatō consilio Cassinirum evocare, & alienigenam patriō soliō sublimare. Hic verò quid excusationis adferri possit, non liquidò appetet. Sed nimis nova bella obruerunt Matthiam, ut arma, & militem in geminos Imperatores, in Bohemos parare cogeretur, ac unà insolitis contributionibus urgere Proceres etiam Ecclesiasticos; adjecit etiam alterum intolerabile pondus viris Principibus, quòd iis inconsultis omnia gubernaret.

Eadem tempestas involvit Transylvanos, & Valachos, sed par Principis fortitudo, & sapientia priores benevolentiam ad meliora contra Casimirum, posteriores assuetum vincere milite perdonavit, ita exteriores terruit, ut domesticos intimius sibi conjungeret. Et haec tandem illae sunt coniunctiones, quae tetram adeo Hungaris inservire notam, ut dicerentur vix habuisse Principem, cui non facerent regni periculum, cum tamen in plerisque circum gentibus plures, aut seditiones, aut pauciores quidem, sed in regionibus per angustis extiterunt, cum in Archi-Regno Hungariæ plures essent nationes, quam in aliis civitates. Imò ubi hereditati jure veniebant Reges, arma tamen à suis passi sunt, & mortes, quid vero Hungaris attulit electio, quam etiam peracta sèpè inveterata odia sub cinerem cogi debebant. Piget hanc parte repetere omnia Imperia, Regna etiam minora, quae vix minus negotii faceſſivere suis Regibus, atque Hungari. Fatum hoc illud est Hungariæ calumniam pati, ut sive Bulgarus, sive Valachus, Thrax, an Dalmata, Scavorum pars, aut Rufforum negotium faceſſeret Regi, semper tamen Hungarus nominaretur, cum tamen longissimo tempore habuerint Hungari Ladislaus, Geyfas, Carolos, Ludovicos, Stephanos, quibus tranquillè se submisere.

VIII. Opima spolia, si quae unquam, Romanis celeberrima, ut praeter trium viros in hac arena plures non numeret vetustior historia, nam praeter primos illos nascentis Reipublicæ Heroas

Cutiatiōs, & Horatiōs, Romulo Acronem Cæcīensem dejicienti, Cornelio Cocco Tolumnium Hetruscum, & Claudio Marcello Britomartum, aliis Virdumarum Gallorum Regem prosteruenti hæc de Ducib⁹ gloria solis obtigit. Et in Hungariæ fastis ejusmodi Heroas legere licet. Bela quidem sanguinis Regii adolescens consiliō D. Stephani in Poloniā transgressus, ut sanguinarii Principis furias effugeret, at quia heroa virtus etiam in exilio arenam invenit, in qua non tantum mala cum fortuna congregiatur, ut dura ferat, sed etiam cum Hercule feras, imo Ægyptos, & tricorpores Geryonas offendit, in quos clavam fortiter inferat. Mīcīlaus Poloniæ eadem ætate primū Rex factus cum Pomeranis bellum habebat, cui unum è Ducib⁹ Belam tunc fortè ab Hungaris exulantem præficit. Dux Pomeranus animo ferox, manu etiam promptus, velut depugnatum fore præsentiret, si Belam vicisset, in fronte hostem ferire designat, Ducem evocat. Nihilō segnior Bela provolat, cui nihil ad gloriam splendidius, nihil ad vitam cum felicitate jungendam commodius, quam è tali hoste spolia retulisse; ergo mediâ concurrunt arenā, hostis, ut in arena sibi tumulum foderet, Bela ut accenderet tædas nuptiales, ibatq; alacri sanè animo quasi præsagus thalami regalis post victoriam. Sternit hostem, Poloni factus gener in præmium, Pomeraniæ hæres in dotem. Singulariter ex mala fortuna felix, cui enim apud domesticos exteri Principis acerbior animus, iniquior impetus ne vitam toleraverat,

apud exterros domestica virtus patriam , & solium procuravit.

IX. Ladislaus tanti Ducis Rex nepos , ut cívilia nunquam non pertæsus odia , ità pugnaturus in hostem sui objectu capit is cupidissimus redimere militum sanguinem ; hinc ereptos hostili ferro Duces dolere , funebres exosculari exuvias in more habuit , quod Craconi strenuissimo Duci , quod Erneo fecit , facturus etiam Vido , nisi somitem illum Salomonici belli debuisset perhorrescere . Veniebant ergo Chuni iterum , vici jam antea à Ladislao pro Salomone , sed quia in sua currunt fata perdit , dum veterem ulcisci ruunt cladem , in novam se se præcipiant , novò , ingentique exercitu inundant Hungariam , terroribus implet omnia , sed prope ratò milite accurrit pro munere Rex , aciem instruit ; nec hostibus defuerunt animi , utrinque concurritur , Dux hostium cautiùs in ulteriora agmina se se recepit . Ladislaus , qui eâ pugnâ accidere volebat Chunis vires , & animos , in intima penetrat hostium castra , & Ducem ultra triaria fortasse agmina reconditum denique invent , in arma prolicit , urget , & fortè aber raverat priore ictu , periculum adiverat , sed quia virtus deesse non potest sibi , geminatò ictu Acum sternit humili . Effusæ inde in pedes hostium turmæ totum Ladislai militem in suam cladem traxerunt , quam adeò memorandam subiere , ut inde nunquam subierit Chunorum genti fines Hungariæ infestò Marte appetere .

X. Similem sacræ gentilis adhuc habet Hungaria ,

garia, postquam enim Hungari Bulgariae redegerunt in tributariam, in ipsam Thraciam ad moenia Constantinopolitana penetraverant, ut intermissum à Græcis tributum exigerent, urbem acerrima obsidione stringunt. Urbem præsentia suā Græcus Imperator defendebat, utque terrore abigeret Hungaros, ingentem mole corporis, roboreque mittit hominem solicitaturum Hungaros ad singulare certamen, ut quorum vires omnium non posset, in uno enervaret. Stabat mole suā superbus, & si liberet Hungaris duos adversum se mittere, fore plusquam Herculem, & contra ambos pugnam initurum; at erravit arrogantia; nunquam facilius foret Hungaris vincere, ac si singuli singulos hostes nanciscerentur; unita aliorum virtus Hungaros debilitat. Nec diu caruit æmulo Græcus, cum ex Hungaris Bothondus unus, sibi minimus è Scythica gente visus reclamat non descensurum se in arenam, nisi vanissimus Græcus duos adducat socios, quorum alter abituram è corpore observet animam, alter tumulum paret exangu corpori. Auditō magnanimō militis responsō Opurus Hungarorum Dux jubet vires experiri, qui in objectam urbis portam ea vi infregit bipennem, ut hiatus pateret pro puerorum ingressu. Inspectante igitur ex urbis moenibus Imperatore cum conjuge, & Proceribus, hinc acie Hungarorum, aggreditur Hungarus Græcum, & unō iictu è Gyante animam, ex Orientis ærario extorquet tributum. Sed Imperatore malum hoc omen contempnente, & avaritiā,

quod debitum erat, prohibente pendere, in omnes latè effunduntur campos, urbes, & oppida, & tributi negati locò quidquid spoliorum, aut thesaurorum habuit Græcia, faciunt sui juris; ità contemptor hostium, & avaritia multiplicata incurruunt damna. Posterior Bothondo Vincelinus Stephani sanctissimi Regis militiae duxtor, Cupæ caput præcidit idololatriæ apud inferos in officiū devovendum.

XI. Mu'tum, teste Tulliō, militum virtus, Ducum industria, locorum situs adferunt Imperatori ad victoriæ momentum, at sæpissimè, quem nulla poterat vis hostem frangere, ingenium domuit, cuniculis opus est, ut mœnia subruantur, insidiis, ut hostem adducas in periculum. Ab his labore passi fuerant Tartarorum calamitate Hungari, dum redactos in angustias Tartaros internectione delere poterant, suisque ad vincendum animos addere, nisi infinitum à tergo traxissent hostes militem dolō effectum, cuius multitudine perterriti certam è manibus dimisere victoriam. At dolō victos pudebat non vincere justō dolō, imò sanctō; Stephanus Regni Conditor tuendæ Majestati Pontificiæ ex aſſe devotus offensam eō nomine incurrit Conradi Cæsaris, ac etiam præsenti bellō appetitus prælium in sequentem parabat diem; cùm favente cœlō tesserarius castra Cæsarea percurrit, edictō Cæsaris vasa militem colligere, ac domum reverti jubet. Habita protinus tesserario fides, priusque fuit desertus Cæsar à victoria, quām somno, sed non à pietate Stephani, cui abundè fuit

fuit populum suum, atque religionem non vexari; etiam gloriosum videbatur non vincere, quem aliunde victum tenebat. Hic pietas, alibi fides Principi ingenium obtulit.

XII. Cinxerat terrâ, Danubiōque Posonium Henricus III. justè illatas cognato Petro ulturus injurias. Totum tegebat classis Cæsarea Danubium, neque spes erat obfessis, ut hostibus elaberentur; ergo Zothmundus nobilis, fortisque juvenis suadente Præfectō urbe egreditur, & amphibiam probaturus fortitudinem, aquis se se immergit, terebrō naves vitiat, annonam merrit, ut sine impedimento cogatur canere receptui Imperator. Factum è sententia, inde se terris, urbem libertati restituit. Feliciore prorsus dexterâ quam scævola, quod hic Regio sanguine sordidandam, igni demum injecterit manum, Zothmundus puram ab aquis, & à venerando Cæsarî latere reduxit dexteram. Hic miles, non longè post Rex ipse dolum comminiscitur. Iterum Henricus Andream petiit, iterum annonâ provisus, quam Gebhardus Ratisponensis Præfus Jaurinum devexerat, ubi in omne Cæsarî Imperium promptus constitit; Huic Rex mentita Cæsarî manu mandata scribit: patriam repe teret, istum Hungaro foedus sibi in Austriam redditum jubere. Gebhardus dimissô in patriam milite reducit classem, Andreas Cæsarem divisô milite debilem in pugnam cogit, hic fame, ac etiam præliô victus sylvæ Vértesiæ, & tumulo clypeorum nomen facit, pacem petit, & Sophiam jam antea Philippo Galliæ desponsam;

Andreæ dat conjugem; ità belli necessitas Sacro-sancta conjugii jura dissolvit, & ingeniosus Mars inermem facit amorem.

XIII. Plurima forent ad manum exempla strategematis, quibus illud demum apud exteris meruere posteris Majores nostri, ut dicerentur callidis, atque ingentibus valere consiliis, ad amicitiam ingenii facillimis esse, at hujus veritatem ne ninem, quam qui inierint melius experturos, an ipsi amari meruerint, an vero gens haec simulatione benevolentiae fraudem paret. Ità aliqui ex Barclai relatione. Sed dolus, an virtus, quis in hoste requirat? certè amicitias cum iis non longas coluere Hungari, quorum aut suspecta illis fuit benevolentia, aut dominatio imminebat, aut priores inimicitias persenserent. Horum proinde bellica strategemata subjecta vide; nam in pace præter unum Elisabethæ Reginæ contra Garolum Neapolitanum architecto Garâ Palatinô structum annales nulla meminerunt. Primas in his laudes tulit Ladislauus, qui ut Geysam fratrem furori Salomonis eriperet, signa permutat, & jam ferox in Geysa signa impellit militem Salomon: cum Ladislaum experitur, cuius fortunam pertimescens terga vertit; dum una irruit in Geysam, unâ à fronte, & tergo cladem adit. Idem Ladislaus attritis Chuniis, domitis Roxolanis, Polonos Hungariam vastantes rejicit, impléisque cadaveribus vias usque ad mœnia Cracoviæ, quam longâ obfidence famere cogit, nec etiam extra periculum inediæ suorum, attamen egeri imperat tumulum,

mulum, tum farinâ conspergi; lucente jam cœlô vidit montem farreum, & simul desperata liberitate veniam supplex petit Polonus, ac exorat, nullô victoriæ reservatô gustu Ladislao, quām quod viderit provolutos ad genua, quos elatos gloriâ, tumentes ferociâ audiverat per campos volitare.

XIV. Nunc à primis ad extrema sœcula revocate ingenium, quibus propior Hungariam Ottomannus appetebat; Mysia prima injurias tulit, sed Nicolaus Boslenæ pro Sigismundo Princeps, juvenis tempestate suâ clarissimus parvâ manu hostem fundit, redit hic immani barbarorum exercitu stipatus, cui cùm parem non posset Nicolaus objicere numerum, aut virtutem, agrestes frequentissimis insidere bobus, tympanis, ac buccinis datô signo concrepare imperat, ipse nocte intempestâ adoriri Turcam, ad latera immensum concitare clamorem; quo perturbatus barbarus in suam ipse cladem ruit, multis ab Hungaro cæsis, multis ab invicem protritis. Subinde maritimis elatus victoriis Amurathes invadit, & velut portam victoriarum aperturus Albam Græcam obsidet. Sed frustra erant omnia Joanne Auranae priore urbem defendantे, donec ultima tentaret barbarus; collem, qui vicinus assurgebat, subrui imperat hiatu vasto sanè, qui septendecim millia Turcarum exciperet. Patet factò dolo obviam fodere Hungari, donec ex indiciis non longè abesse hostem adverterent, ergo hiatum materiâ incendi capacissimâ implent, obductoque muro foramen relinquunt,

quod transmittendo in Turcicum cuniculum igni
ficeret riⁿam, mox admoto igne dictorum su-
pra millium stragem funestissimam faciunt; non
aliā tam avidē foveam sibi foderunt homines,
& sepulchrum.

XV. Jam in fortitudinis, & ingenii arenam
descendat Corvinus. Ad Albam ille tunc Julian
Mezethem Turcam experitur, & vinci debuit,
ut pluries vinceret; nam suorum colligit reli-
quias, hostem insequitur, cujus id omne studi-
um esse cognoverat, ut in Corvino fortunam
Hungariæ accideret, cujus omnem vultum,
signa, arma militi depingit. Habuit Corvinus
& vultu parem, & consiliō Simonem Kemeni-
um, cui proinde arma, equum, militem præto-
rianum signa ipsa tradit. Kemenius charitate
in patriam, fide in Ducem se totum fingit Cor-
vinum, datisque signis in se totam concitat As-
iam, cui cum præstantissimo milite dum à tergo
genuinus instat Huniades, alterius fidei, suæ in-
dustriæ, saluti Hungariæ litat vicena millia bar-
barorum. Dúplō majorem tulit cladem furor
Turcicus, dum ad ferream portam Transylva-
niam tentaret Sciabadinus, Amurathis non ulli
ferè secundus belli Imperator; sed hunc vice-
rat quindenit suorum millibus Corvinus, nisi
ex octoginta millium multitudine nova fessis ad-
ferret Basseus auxilia; quatuor horis ambiguō
pugnatum Marte, apud Turcas ad triarios res
devenerat, quos in Orbem cogit Dux, ut Hun-
garos cingant, permittit aciem Corvinus, at
unā curribus circumdat, è quibus dum impunē
ster-

sternit hostem miles, interceptam internecione delet; tum reliqua pars amissis quadraginta fortissimorum millibus in fugam effunditur. Necdum satis Amurathi cladium, necdum Corvino gloriæ; ingenti ille ultra Savi ripam exercitu tendebat, atque in diem proximum prælium decreverat. Corvinus autem excitatis per castra ignibus ipse cum armato milite Savum trajicit, dumque ad flamas excubare creditur, vitâ simul, & somnô hostem exturbat. Deseruerat post tridui cum Amurathe prælium Hunniadem fortuna non virtus, dum perditio milite inermis in latrones incidit, à quibus exutus vestibus, etiam cruce aureâ, pro qua illi velut canes pro osse decernunt, Corvinus hærentem unius lateri acinacem corripit, latronum alterum iectu sternit, alterum in fugam compellit, ipse consecutus è cruce salutem.

XVI. Cladat agmen, qui ducere debuerat Corvini filius, Parenti par fortitudine, felicitate superior Matthias. Jayczam ille Turcis eripuerat, quam ut Mahometes reciperet, omni apparatu locum aggreditur. Sed disperso undique clamore per Emericum Zapolium Regem, ac ejus unâ fortunam cum exercitu appropinquare, ut de summa imperii decernat, perterritus fugâ consuluit saluti, non imperio. Idem Bohemo Moraviam, ac Silesiam eripuerat, Uladislao tamen Polono iudiciô senatus Regnum Bohemiæ cedere coactus fuerat. Casimirus Pater, ut filio tutum reddieret imperium, triginta millia inducit, quibus cum denis occurrit Matthias,

thias, & dissipatō quidem exercitu, ut licet vellet, pugnæ copiam Polonus non obtineret; interim populari Poloniam imperat, è qua octo millia captivorum Zapolius, & Kinissius in antra compellit, illi simul, & reliquus cum gemino Rege Polonus famem pati, ac etiam succumbere coacti pacem petunt, ut Matthias modicā manu, imò in otio de duobus Regibus, & Regnis triumpharet. Ità semper ars, durati milites, providus Imperator præstat multitudini.

C A P U T X.

*Bella cum exteris felicia, & infelicia,
utrorumque cause.*

I. SI quod unquam, certè Hungariæ solum, quemadmodum bonorum omnium, ità bellorum erat feracissimum, ut si minus theatrum, belli certè seminarium jure audiret, ità vel ubertas terræ, vel bonorum suorum impatiens humana indoles, vel finitimorum coëgit invidia. Non sanctitas Regum à profana belli arena satís remota, non exhaustæ malis patriæ licebant otia, ut omnia describere bella sit velle annales transumere. Cessante per affinitatis fœdera Lecho, Cechus assurgebat, ab Arcto Ruthenus, Roxolanus, & quis non incumbebat, ab Occidente imminebant Cæsares, ab Austro Venetus tollebat jubas leo, & quatuor propè saecula Dalmatiam infestabat, donec immanissimus hostium vices exciperet Ottomannus, cum quo diuturnius pugnavit nemo, nullusque universam Asiac poten-

potentiam, aut repressit, aut sustinuit fortius
Heroibus Hungarorum. Poterat imo retundi
Asia, nisi vicina æmulatio gladiorum aciem he-
betasset, nisi felicitate sua in sublime elata ti-
mere nescivisset Hungaria, & studiosius discor-
dias concordia propulisset. Ex tantis ergo bel-
lorum naufragiis aliquas educere tabulas, è tan-
tis tropheis aliqua proferre spolia induxit ani-
mus, & quanquam magnæ sunt plerumq; causæ
terum grandium, nec faciles referri, tantis ta-
men operibus tantillos versus reddere liceat,
ne posteritas obliuiorum turpium pœnas luat.

II. Septuagesies justo in arenam prælio descen-
dit Mars Hungaricus, partim religionis trendæ,
aut proferendæ gratiâ, partim socia arma fe-
rendo; saepe alienas ulturus injurias, & arbiter
Regum, saepe suos fines à rapacibus Harpyis vin-
dicaturus; ex tot præliis si duodenam excipias,
victoria semper ab Hungaris fletit; neque enim
hic, aut expugnations urbium dare placuit,
quas in maritima Dalmatiæ ora plerique Reges
perfecerunt, in Austria, & Moravia Matthias, in
Italia Ludovicus, in aliis alii regionibus, aut
excursiones subitaneas, quas ad domanos Va-
lachos, Moldavos, Myssios, Rascianos, in Ste-
phanum Vajvodam, in Laurentium Ducem, in
Matthæum Threnchinensem, in Georgium Sicu-
lum orto tumultu suis auspicis, aut per seipso
suscepere Reges, hæc enim res, & prolixioris
esset operæ, & non virtuti æquè, atque loci
munitioni adscribenda, nisi eo usque pugnan-
tium incendatur ardor, ut æquatis solo mœni-
bus

bus in plana decernendum sit arena, neque murus asylum præbeat fortitudini; quale nobis exemplum dedit Hunniades, dum invictis animis Belgrado Turcam depulit. Fateri quidem convenit ingentes hauriri vires obsidendo, defendendo, multorum insuper atteri robur, & hâc arte figi victorum pedem, sed in æterna bella assurgunt arces, neque magnopere populorum propellunt injurias, si campo desint agmina. Sed hæc à præsenti instituto cùm aliena sint, ad victorias, earumque referendas causas pergit calamus.

III. Pugnant pro suis Divi aris; quem religio educit in campum, nisi admistas habeat bellidux privati causas commodi, non relinquit hosti proculandum. Contra Bulgarorum Ceam pro religionis concordia pugnarunt Hungari, & vicerunt etiam Duce interempto. Eluserunt Conradum pro dignitate Pontificis decreturi, Chunos gentiles incurrentes in agros Hungariæ prædâ primùm, deinde armis, & milite ad internecionem deleto, denique Duce Acô spoliarunt, ne non resesto capite animos aliquando recuperarent. Sub Andrea II. Saracenos primùm impetière, fueratque operæ pretium, nisi inundante Nilô pacis iniquas conditiones petere coherentur. Vix Chunis nuper victis pacem speraverant, Cumanos experiri coguntur, genus hominum Tartaris corrivale, superstitione, ac moribus fœdum; sed militabat æther Hungaris, & quamvis indigno sub Rege, qui vinceret, dignissimis tamen Hungaris, pro quibus pluvia in

oculos hostium vehementi deplueret imbre,
 mutareturque in sanguineam, promerente ita
 religione, quam Hungari contra blanditias Re-
 gis tuebantur. Pro qua iterum sub Ludovico
 vincebant schismaticos, deleturi perditos, nisi
 hi scutum religionem objecissent, eque ad Ro-
 mana sacra reddituros recepissent, sed imposue-
 runt clementibus, ut alias cum tota Rascia sub-
 inde darent viatorias. Ultimâ jam ætate quinque
 sæculorum quasi ad triarios rediit bellum pro
 religione, quo tempore patuit, quid in Hunga-
 rico pectore esset roboris, quidque leones pos-
 sint duce Rege belluarum. Vix enim illuxit Jo-
 annes Hunniades, jam ipse obtutus astrorum in
 Mahometanos miserum obversus fuit, ut quo-
 ties pugnarent, vincerentur; imò etiam, dum
 viatoriam plauderent, altissimum suppressimere
 vulnus non erat in potestate; vicerant illi primò
 in Transylvaniæ campo, sed ut internecione de-
 lerentur ad moenia urbis Juliæ; vicerant secundò
 trium dierum præliô acerrimô, sed ut ex Hun-
 garis octo, illisq; fessis, ex Mahometanis 24000.
 sternerentur. Vicerant denique ad Varnam, quia
 Regem cum 5000. peremerunt, sed victi sunt,
 quia penè 40000. ceciderunt, quia sic amplius
 vincere detrectabant. Victi demum sunt pro
 Christi domo Turcæ, quia ducibus Joanne Cor-
 vinô unô, alterô Capistranô, qui columnæ ad
 Taurunum sunt positi, ne quid Turcæ plus au-
 derent.

IV. Nec suos tantum religio, etiam pietas, &
 justitia suos ex Hungaria duxit exercitus ad vi-
 tori-

ctorias. Pro pietate in fratrem natu grandiores, & patriam pugnabat Ladislaus ad Vacum, sed sine sanguinis effusione. Jucundius erat pugnare hastis argenteis, quibus expugnati primū Proceres Henrici IV. ac per hos Imperator ipse: qui visā virtute militum Geysanorum infectis rebus in Germaniam revertit, & Salomonem sibi relinquit, sanè ad salutem; nam is hōc primū periculō fractus, mox etiam præliō, rebus humanis vale fecit, & anteactæ vitæ expiationem adiit in eremo. Magis pro pietate pugnavit Geysa II. qui, ut Minoslaum ficerum Ruthenico solio reponeret, bis Lodomerum injustum invasorem vicit.

V. Nec minus valuit pietate Ludovicus, is enim primò Casimirum ficerum Poloniæ Regem contra Bohemos jam Cracoviam obſidentes securitati restituit, subinde contra Tartaros, interemptō horum Duce Keyſtutō gloriōsè defendit, denique Andream Neapolitanum suorum perfidiā cæsum armis vindicat, Carolum Dyrihachinum eōdem, quō Andreas iustum subiit, locō cædi imperat, socios criminis in vincula conjicit, Ludovicum Neapolitanum regno admovet, post messes aliquot ad se devolvendo. Justus ab Uladislao Bohemorum Duce Hungariam vastante incussus dolor concitavit Hungaros ad vindictam, cui spoliatione universæ Bohemiæ, & vastitate acerbè litârunt sub Salomone. Acerbius urebant Stephanum II. inustæ sibi, atque etiam Patri injuriæ, quas geminâ incursione in Poloniā ultus fuit. Acerbissimum

fuit

fuit Belæ IV. à Tartaris gravissimè vexato negatum fuisse hospitium, imò bonorum, ac thesaurorum reliquiis spoliari, ideo ut ulcisceretur inhumanitatem, ab exilio Dalmatico redux magnô Rhodiorum comitatu venit, & in Fridericum Austriæ Duce signa movet. Temperavit tamen affectum providentia, nam cùm Dux esset reus criminis, ille præliô cecidit, populus fuit uti innocuus, ità præliô contra Belam superior. Bellô sociali fidam impendit operam Rudolpho Habsburgico Ladislaus, dum Ottocarum gravissimô præliô devicit, ut ab æmulo imperium illi securum præpararet. Atque his potissimum causis nituntur bellorum machinæ, faciuntque securos victoriae Marti succenturiatos. Si aliis horreant dexteræ mucronibus, horret se pariter victoria confidere, nisi cœlorum ordo aliquando justè pugnantibus justiore calculo renuat eventus fortunatos.

VI. Quid erat justius, quām Saracenum orbi Christiano inhiantem bellô reprimere, ac etiam in ortu suffocare, fecerat id Andreas, at istud integrum ei non fuit; vicerat ad Damiatam, at Nilo per fraudem tumescente vinci debuit, ut pactis de salute conditionibus redire cogeretur, sed in hoc periculo socium aliâs habuit Ludovicum Gallorum sanctissimum, & fame, & peste, ac tandem carcere oppressum. Justum fuit Stephano Pyriscam, credo, neptem S. Ladislai ab Imperatore Græco inhumaniter tractatam in amores mariti reducere, sed bonam causam malis artibus fulcire destruere est; Pyrisca, ut acriores

ores addat stimulos feroci animo , scribit Imperatorem velle Hungariam accipere in clientelam, aut sui juris facere ; credit in sua damna celer Stephanus , ac è fœminæ gemitu signa explicat, at fœminis etiam Græci sunt fortiores , ideo auspicia muliebria Stephano ingentem cladem attulerunt. Justum erat , & si nihil quam se, suaq; defendere justius , justissimum Tartaros bellò repellere , at quam atroci clade absolutum sit, nemo satis historicorum deplorat.

VII. Gravissimis decertabant odiis Tartari , & Cumanis , donec victi hi , ac etiam in exilium acti, meliorem patriâ plagam repererunt , apud Belam Hungariæ Regem , à quo & plagam Regni pulcherrimam , & asylum contra hostes expetebant; nihil illô promptius in favorem clientum; tum quia Princeps fuit liberali , ac ingenti animo , tum quia propagandæ veræ fidei studiosissimus. Sed en è bono malum , & pernicies. Ut è barbara superstitione proliciat , favoribus ornat omnibus Cumanois , imò qui sacra nostra suscepissent , etiam honoribus Regni admovet, oritur invidia in patriis Proceribus grande Regnorum malum , mox etiam apertæ dissensiones, ut imperata Regis parvi haberentur. Offendebat autem Hungaros , & justè quidem nihil securum sibi esse à Cumanis , ne quidem thorum conjugalem connivente Principe ; durum erat authortati Procerum , ut sedes eorum , qui pro vetusto more coram Rege assedissent , comburerentur ; ingratum fuit in bello præclarè meritos non præmiari , quin belli peremptorum Regiæ quæsturæ

sturæ bona adscribi, quin & causas controversas non amplius ad Regem, sed ad substitutos deferri, ab iisque pro libidine omnia geri, adeò quidem, ut vilissimus Cumanus Regios vultus intueri, & alloquium ferre, Hungarus nonnisi responsa literaria acciperet. Volvitur è malo pejus, nam Kuthenus in suspicionem venit conspirationis cum Russis ad Hungariam opprimendam, ac à furente populo in custodia cum suis interemptus, reliqui etiam Cumani ad bellum contra Tartaros evocati à rusticis cædebantur, quare in furorem versi turmatim omnia populantur, & incendunt usque in Austriam, etiam militiæ Regiæ partem terè ad internectionem delent. Hæc verò mala sunt semina grandium; nam in vectos in Hungariam Tartaros, dum ad Sajonem fluvium pugnaturus Rex aggredi parat, pars cum Colomanno Duce strenuè dimicant, pars Cumanicis malis, & irâ furentes pugnam detrectabant, & occultis viis elapsi Regem deseruere, qui saluti suæ prospecturus elabitur, & paucos militum cum ulteriore Hungaria Tartaris concedit, & extremæ calamitati, quam favore præposteroù æmulationem irritante, ac extremitùm in discordiam effusò acciverat.

VIII. Clades geminas Abæ victi ab Henrico, & Colomanni à Russis sævities procuravit, dum ille in pace subditos premit, in prælio ut ab hostibus opprimeretur, à suis desertus promeruit; iste imbellem calce proterendo fæminam, Russos in furorem accendit, à quibus nocturnis insidiis castris, & milite exutus vix cum pauculis

in Hungariam effugit. Rarò quidem felicia furore
arma ministrat, semper tamen in authoris caput.
Nec parum interest, quō milite pugnes, Otto-
carus ille à Stephano, & Ladislao bis vincendus,
Belam vicerat, quia Cumani auxiliis magnā
parte præliantem deprehendit; rarus miles pa-
ribus armis pugnat pro alieno, atque pro suo;
experti Quirites, experta posterior ætas socios
milites numerum facere, rarò victoriam. Ex-
pertus idem Sigismundus Rex deinde Impera-
tor. Is injurias uxoris Mariæ ulturus multorum
nobilium capita messuerat, quasi hominum, &
papaverum capit̄ parem expeterent ultionem;
atque eō factō animos Hungarorum admodum
alienos reddiderat incommode planè tempore,
nam necesse habuit ab exercitu sup-
plere. Venerat in supprias Joannes Dux Bur-
gundiæ Philippi filius cum lecta, atque ornata
Gallorum manu; jam ducentis armatorum mil-
libus stabat Bajazethes eā multitudine certus re-
tinere dominatum Europæ; necdum convene-
rat Christiana omnis militia. Provocabant Tur-
cæ ad pugnam, inhibebat & sapienter Sigismundus;
at negligebant Galli, sive oculis in lucem
gloriæ intentis, sive animis ad æmulationem
comparatis, ne victoria penes Hungaros manet;
provocantes insequuntur, quasi cum his
esset unicè decernendum; procurrunt ulteriùs
in hostem, qui strenue pugnantes, multitudine
fatigat, tum etiam à reliquo corpore præcludit,
jā in que ipsa segregatione imbecilles, gregarios
concidit, Duces capit in spolia futuros; at pe-
riif-

riisset licet una Gallorum manus, palmam meruisse, nisi reliquum exercitum ad herbam hosti portigendam, sibi ad fugâ consulendum coegisset, Nicopolim barbaro, Sigismundo vix cymbulam ad enatandum è tanto Reipubl. naufragio reliquisset, denique Turcis ducenta aureorum millia in lyrum, belli nervum austura.

IX. At poterat Hungaris clades ista tolerabilis videri, quam Alberto II. Duce barbaris restituerunt; tolerabilis, & illa Joannis Corvini, quam in campo Merulæ minus cruentam geminis partibus, ac hostis retulerunt; tolerabilis & illa, quâ ad Losoncinum Hunniades castris exutus fuerat, quia exutus sociorum manu, atque, ne semper vinceret, ne Dux una videretur vincendi ratio, à suis desertus fuerat; eò nimirum vesaniæ prorumpit æmulatio, ut hostile malit jugum, quam perpetuam amico victoram! at illa tolerari potuit, quam Rex Uladislaus poenas dedit non observati fœderis, imò consilii, quod Corvinus dederat imprimis salutare. At infelix gloriæ magnitudo, iterum umbram projectit in oculos invidorum, quam comitibus affusâ cæcus in præcipitum abiit Rex, & belli imperator; tolerari, inquam, potuit, quia Corvini Pater, & filius, Bathoreus, & Kinissius firmissimæ Hungariæ columnæ abundè damna resarserunt cladi bus illatis, & cæsis intra semisæculum Turcarum millibus facile quadringentis. At suprema illa, in quam Corvinis antè heroibus educatum in altissima Hungariæ fastigium tandem ruit in funesta Mohacsi palude, nunquam admodum explicabit

bit dolorem, nunquam exteret teterimam notam. Multi sanè vespillones hoc Hungaricæ gloriæ sepulchrum effoderunt, multa signa portenderunt, nam Rex tanti diseriminis caput, vix natus matrem amisit, & natus quidem sine pelle, in suem redens exenteratam inclusus è judicio medicorum, nomen ipsum aliud à designato Iulii Ludovicus accepit, ante pugnam quinque solles in cœlo visi, Rex ad loriceæ inductionem cohorruit.

X. At gravius in fatum Hungariæ laboravit crudelitas, dum Legati Turcæ pacem petentes, contra jura gentium abscissis naribus remissi, præcipitantia, nam dum comites Scepusiensis, & Frangepani expectandum, & in tuiore, quam Mohacensis esset ager, loco præliandum monerent, ipsi pariter sub armis quadraginta milia adducturi, nihil bene monentibus militum cessit furor, ac deum etiam regrediendi impotentia, temeritas, quam Solymannus ipse damnaverat, quid enim 26000 manipulus contra totam Asiarum potentiam, quæ ducentis bellatorum millibus Hungariam inundaverat? quid Rex belandi inexpertus ad Solymannum tot palmarum Ducem? imò quid creatus belli ductor ex monastica disciplina, ac tandem Præfule Strigoniensi, pedo pastorali Ecclesiæ aptior, quam sceptro, gladiove? miles ipse quanquam cætera robustus, & in prælio usque ad Solymanni tentorium audax, at ordinis impatiens in suam perniciem ruebat, quo sanè adduxit Regem aspectu elegantem, indole generosum, comem, rei milita-

litaris studiosum, at inexpertum, quartē decimō
ætatis annō barbatūm, sequenti conjugatum,
decimō dēnique & octavō canum; heu dolor!
nimium citō ad sua, & Regni fata maturum!
itā rara est juvēnum felicitas neglectō seniorum
consiliō, sīnē īvocato superūm auxiliō, nam
orti repente venti signa militūm subverterunt,
concrepantibus tubis sīnē precatiōne antea san-
ctissimē præmitti solita miles in arma ruit. Nec
diffiteri licet strenuē pro patria cecidisse, at im-
prudenter; non incruentam dedisse hosti victo-
riam, at patriæ fatalem, eā siquidē nigræ diei
nocte involutus est togā, sagōque qui ex fe-
licibus Corvinorum temporibus remanserant,
clarissimotum virorum splendor, viri Principes
utriusque sacri, & profani ordinis cum Rege
sepulti, ex ea nocte nata discordia, quæ du-
bus sœculis Hungariam vexavit, ut maximis
exercitibus vix, ac vix tandem ē visceribus ho-
stem expulerit, edacissimum sanè venenum, &
pertinax, quod tam fortibus remediis curaba-
tur, tot acciſionibus, tot bustis.

C A P U T XI.

Ordo militiae Hungaricæ.

I. REmpublicam diversi admodum Ordines Ci-
vium efficiunt, in quib⁹ militaris ad su-
gēndam, firmādāmque summē necessarius est.
Is dum ab hoste irritante duxit ortum, tum ad-
versis ad secunda ferentibus ē privatis com-
modis, à paryis Regni limitibus, ad publicam

lucem, ad amplissimas Provincias extendit Republicam. Quidquid maximorum retro Regnum historia meminit, angustum fuit, atque ut navibus nata ferendis flumina sua in scaturagine levi passu superantur, ita imperia maxima modicis cæpta initiis amplissimos ferrō duce limites acceperunt. Et ubi primū vix Tribunus, aut Judex invenerat, quibus imperaret, subinde nec Dictator adjutus Consulibus, Proconsulibus, prætoribus, quæstoribus, Præfectis, Legatis ad ferenda mandata satis esset expeditus. Et tantas has moles discordiarum Numen Mars copulavit, ut vi suā, & naturā ferrum etiam dum animas dividit, corpora grandia imperiorum conjungeret. Atque hujus Athenæ, Spartani, Tyrii, cùmque suis Romulus pastoribus fidem faciunt; fidem & posteriora tempora, quibus & Oriens, & Occiduus Sol Roman adorabat: Roman Marte Patre natam, Marte duce terras, & maria domantem.

II. At quemadmodum imperia magna, sinè Præside justitia, sunt magna latrocinia, ita hominum armata manus, Duce, legibus, ordinéque destituta, quid sunt palantia nisi latronum agmina? in tanti mali remedium natus est ordo imperandi, obsequendi, pugnandi, repugnandi; longa hujus præcepta usu ipsō edicti dedere Gajus Cæsar, Vegetius, aut qui horum gesta scripsere Græci veteres, & Latini. Justus Lipsius Latinorum ævi sui delicium, inter affidua Germaniæ inferioris bella, horum

ex ipsa spectator arena, cum nollet ferrō, bella, duxit calamō, credebātque se præsentium mala bellorum lenire posse, si veterum minimisset problemate positō: an veteres, & Romanorum belli artes Principum, an nostorum machinæ belliducum plus conferrent ad victoriam. Et reliquis immorari tædet animum, una totius militaris Reipublicæ fabrica hīc adscribenda videtur ejus apicibus: multitudo apta, & composita in armis ad vim faciendam, vel arcendam sub certa lege, ad quam rectè conficiendam opus est delectu virorum, ordine ætatis, dignitatis; armis, quibus hostem aggrediaris, quibus repellas; acie ut fessis recentes succedere, primipilis triarii denique possint; disciplinā, ut patriam, cives tueantur, Rempublicam conservent, non revertant. Quæ omnia quām veteri Hungariæ servata fuerint, pagina exhibebit.

III. Si Attilæ tempora memoriâ repetamus, ultra quingenta secum trahebat millia; innumeræ sanè multitudo, quæ nisi vastissimi animi Ducem nocta fuissent Attilam, confusam certè, & tumultuantem turbam, quām martiales viros retulissent, & certè fuit hæc multitudo terrori magis, quām pugnæ, quæ inundatione suâ hostes involvit. At ubi finibus Hungariæ consedit Attilæ posteritas, ferociâ & viribus, non multitudine pugnabat. Ad belli molem superandam necessaria sunt pectora robore corporis, stabilitate, quæ cœli

injurias ferre possint, æstu, & pruinâ madeant, est etiam opportuna agilitas corporum, quæ celeritate suâ victoriam invitet. Hungariæ partes aliæ montanæ sunt, aliæ campestres; priores illæ gignunt viros, & ferendis ponderibus robustos, & ipsô montium cœlô duratos; posteriores in omnem partem versatiles, & cum fulgure parentes modò à tergo, modò à fronte; ambæ alunt brachiō, & humeris validos ad cædendum hostem indefessos, ut si ex montano corpus velut gravis armaturæ militiam ex arte instruas, ambulantem murum stabiles; cornu utrumque agminis eques adjecto pedite, sed non vagabundus constituet.

IV. Veteris Hungariæ militia patrio constabat delectu, & ubi socios habuere, raro felici eventu; neque mirum, & indoles, & disciplinæ discordia hiatum fecit victoriæ, ut ad hostes transvolaret. Imò nec egebat auxiliis, quando sexaginta millia equitum, pedumque non difficili delectu in aciem produxit; nec est difficile creditu, qui singulas provincias in calculum reducit, quæ cum Transylvanicis, & Siculicis septuagesimum numerum excedunt, si frequentes populô, si ex ingenii propensione ad militiam proclives, si bello assuetas, imò, ut alicubi meminit apud Bonfinium Matthias, non aliunde magis, quam ex bello cupiditas lucrum, & gloriam reportare; si tot, tamque diuturna bella ab una hac gente confecta intuearis. Posteriora tamen Cor-

vino-

vinorum tempora ultra 30000. vix ad præmium eduxere.

V. Ordinem ætatis, atque Romani, tam superstitionis non habuere, non illa idonea videbatur, quæ ferocior; neque emereri laborabant stipendia, sed immori bellis; dignitatis verò hunc tenuere, vel enim communis Regni expeditio in subitaneum, & grandem evocavit hostem, & tum jure Regni Palatinus fuit belli Imperator, vel privatus quispiam hostis arma intulit, & ad hunc repellendum persæpe Rex ipse, persæpe spectatae fidei, & fortitudinis heros militem ducebat. Reliqui ductores agminum Capitanei, castellani, millenarii, centuriones, decuriones erant, ordines ipsi pedestres alii, alii & plures erant equestris, sive quia facilius hoc est militare genus, sive quia nobilium è dignitate. Horum alii erant ordinarii, qui perpetua stipendia in munimentis, & Regni limitibus merebant, cujusmodi fuit legio Matthiae Corvini nigra vocitata, eò quod æstatem, hyemem, noctes, atque dies, cœlum pluvium, & sudum eadem pertinaciâ tolerâset, quæque Matthiae ejusdem testimonio nihil impervium habuisset, scelere demum suô periit; ut antea victoriis, & arte militari fortissima, ita injuriis patriæ iliatis conselerata. Subsidio erant ex gremio Regni, sed impensis Prælatorum, Baronum, Nobilium, Procurum collecta, in banderia, quadringentos viros complexa divisi, nam regale banderium mille equites numerabat.

VI. Armorum genus erat jaculum manuale & brevius, jaculum longius, seu lancea, acinaces, seu gladius falcatus, & framea, gladius alter in mucronem desinens, isque vel manus, quod cæsim, punctimque ferirent, vel equestris longus, equiti evertendo designatus, sagittæ cum arcubus, iisque ingentibus ad terrorem, & pharetra, securis, uncinus, & clava. Callimachi hæc est descriptio: Cum ferendi duplex sit ratio punctina, casimque. Punctum enim arcu, & sclopis. In arcu, quamdiu à seipsis non degenerarunt, aliquid momenti fuit; à principio enim non decoris, & habilitatis, sed terrendi, sed sauciandi hostis ratio habebatur, atque ideo sagitta gravis, & pralonga, arcus vero amplitudine, & robore tali fiebant, ut aspectu terrorerent contuentes; nunc vero per ambitionem decoris omnia commutata, ut non virorum fortium tela, sed puerorum ludera videantur. Scopetorum hæc forma, ut ex ephippiis manuales sclopi penderent, angustiore orificio, quâ cæsus omnem armaturam ferream penetrabant. Cominus lanceâ, verutô, uncinô pugnabant; lancea erant ferrô acutô munitæ, & equo succussante impellebantur, verutô in persequendo hoste usus erat, uncinô contra quodvis hostium genus, sed maximè contra equites gravis armaturæ, quod loricam, & thoracem perforarent, & equitem deicerent. Casim secabant, vel batuabant adversarios; acinaces enim, ne punctum feriant, recursos habent; contra Turcas,

ut

ut ait Callimachus , peritè & strenuè dirigere
 „ sciunt arma Hungari , quibus si ferream arma-
 „ turam hostilem perfringere non possint , stre-
 „ nuissimi Hungarorum hostem clavâ agredi-
 untur. Pergit in sequentem sensum Callima-
 chus.

VII. Matthias Corvinus ille Rex Pannoniæ ,
 quô nemo à multis sæculis melior , prudentior,
 militiâ clarior , aut felicior , & rerum veterum
 inter Principes quidem doctior fuit , in corona
 illustrium hominum coram ipso de præstantia
 ævi illius , & artibus machinisque bellicis in-
 super plerisque omnibus vetera postponenti-
 um sententiam tulit : si centesimam partem an-
 tiquæ militiæ ætas nostra teneret , & discipli-
 nam haberemus illi parem , profectò Turcarum
 istud regnum non fuisset tam longè , latèque
 diffusum. Nec tamen antiquitatem nomino ,
 quæ quingentis , aut sexcentis annis contine-
 tur , sed Romanorum illud ævum aspicio , quod
 cum aliis belli artibus , tum & machinis , & tor-
 mentis præclarè fuit instructum. Usu armo-
 rum Hungari quidem soli ferè hâc tempestate
 cum Turcis pugnare noverunt , eò quod in-
 sitô quâdam odiô quotidianis propè præliis
 cum his contendunt , maximóque ob id ipsum
 illis terrori sunt.

VIII. Arma defensiva lorias , thoraces , cassi-
 des , eaque multi generis ut veteres habuerunt .
 at contra sagittas potissimum utebantur pellibus
 luporum , in quorum villos dum deciderunt illæ ,

innoxium corpus relinquebant. Neque præterea aut egebant multis, aut utebantur defensivis armis, quando in congreſſu eâ prædicti fuerunt audaciâ, ut nihil magis ignominiosum apud ipsos fuerit, quâm aut locum relinquere, aut tergô vulnus accipere. Hinc in ipsa belli acie quædam sunt consideranda: ante pugnam in loco accommodo præsertim in campos diffuso, quia equita- tu gaudebant aciem instruxere numerô, & figurâ multiplicem, prout loci, aut hostis conditio fe- rebat. In campis Mohacienibus in duo agmina divisus fuit universus exercitus; in campo Merulæ Gubernator Hunniades octo & triginta acies digessit. prioribus temporibus prælia inibant vocibus horrendum sonantibus, ita ut rotundas acies ordine primô undique catenatis curribus cingeretur. Cornua diversæ gentes proferebant peditum, atque equitum ambitu. In agmine præcipuo five statario Regem in medio statuebant cum flore & robore bellatorum, qui de more in prælio comparebat, ut in medio fortissimorum & suis prospiceret, & ab immani periculo exem- ptus redderetur. Hinc, teste Prodericô, ex pervetusta consuetudine nobiles Hungariæ com- munivere Regem circumquaque, erântque Regi pro muro inexpugnabili, cuius munimine de Chuniis, & Ruthenis evasit Colomanus. A Rege haud longè ferebatur vexillum ingens imagine D. Vir- ginis conspicuum signifero, & ut ad Romanæ denominationis de Aquilifero loqui liceat, Ma- niophoro Judice curiæ, detractis ipsi calcaribus,

ne de fuga cogitaret. Ante prælium Palatinus Regem circumvehebat per universum exercitum, eundem ostentans omnibus, & palam contestatus eum paratum extrema ferre omnia, pro patria, pro sacra Christi DEI optimi, maximi religione, pro conjugibus, & liberis eorum, aris, & focis. Rex in locum reductus galeam imponit capiti, attolli signa jubet, & cantum vide-licet nomen Sacrosanctum JESU & Mariæ in-vocantium, tum tubas, ac tibias plenō, vehemen-tique flexu concitatas, ut suorum, & hostium animos diversis affectibus impleret. Denique muta illa signa, sed silentio vehementer inci-tantia vexilla Christi, sanctissimæ ejus Matris, D. Georgii, cuius in bello Numen pœ cæteris invocabant. Signa hæc reliquis usitata, non il-lud, quod Dionysius dux ingenti, & altâ trabe currui fixum erigebat, & quatuor jugis boum circumvehebat. Confligebant turmatim, non totô agmine, à fronte positi nullô certô loco consistunt, sed omni necessitati sunt subsidium. Agmen statarium, & novissimum, & ut in Romanis triarium, quod statariõ præliõ victoriā conficiebat. Celeritatem præliandi, & omnes artis militaris formas fingendi scientiam Hungaricæ militiæ refert Bonfinius, ubi cuneos, forfices, globos, turres, laterculos, cornu-tásque acies fusè d'laudat, & nihil minùs, ac magis Romanas illas æstimat.

IX. De disciplina militari ita loquitur: *Nus-quam gentium milites spectare licuit caloris, & frigo-*

frigoris, item laboris, & inediae tolerantiores, qui studiosius imperata faciant, lubentius datō signō pugnam ineant, se morti promptius expōnant; item qui militarem seditionem magis detestantur; in castris quietius, honestiusque vivant, sese religiosius agant, tumultus magis abominentur & rixas, colant avidiū temperantiam, & castitatem, & ab omni blasphemia, perjurio, illegitimāque venere sint alieni. Maxima pars equium, quibus uxores sint, & liberi, triennium quandōque assiduē militare coacta, nunquam conjugii fidem violasse creditur. Si quis cum scorto deprehensus est, perpetuā sugillatur infamia, fortitudinis & continentie sunt plus, quam Lacedemonia. Hyeme juxta, atque etate castra frequentantur, & quod meis bisce oculis sape vidi, sub nivibus, ac terrā, ne obsidionem institutam deserant, tolerantur hybernant. Unde murum sape more prodeunte stationibus, totam noctem tesseriariorum jussu equites adsunt, neque loco moventur, neque de ingenti algore queruntur. Et quamvis plerisque membra desante frigore obstupescant, invicē tamen animo cuncta patiuntur; liberos in castris alunt, ibique militaribus studiis informant.

X. Quae quanta sit laus, æstimare satīs poterit, qui consultis retro historiis, nullam meliorem formam militiae, neque apud Græcos, neque apud Latinos repererit. Duo exinde conjicio, alterum non fuisse difficile victoriam consequi Matthiæ cum tam felici apparatu, alterum

terum licet sub hoc fortissimo Rege ad summum gloriæ pervenerit disciplina militaris Hungarorum, eò tamen magnis incrementis tetendit sub Regibus majoribus, qui parvâ sanè manu provincias exterias tenuerint in potestate. Certè Neapolis sub Ludovico, Vienna sub Matthia, Moravia, & reliquæ provinciæ præsidia Hungarorum finè violentia, & rapinis tolerârunt, imò nec Dalmatis invisi fuissent, nisi æmulos instigatores habuissent. Domi una legio nigra, neque hæc ex Hungaris unis compacta, insolentiâ demum resolutâ debuit acerimè coërceri.

XI. Tres tamen militiæ leges erant nationibus exteris parum usitatæ, prima ut Regi militare velint, servire non cogantur; magnanima ea lex, & in Regiam Majestatem propensissimam indeolem significat, & milites adeoque nobiles esse, qui vitam laudis, ac honoris ducet, patriæ necessitate levissimam ducant, & non dignari servire, qui eapropter in hostem arma sumunt, ne serviant, quâ tandem arte fiet, ut suâ se sponte mancipent servituti. Altera ne cum Rege ad extera Regna cogantur abire, quæ difficulter intelligi potest, nisi quod uxorem, ac liberos ad exterias regiones non abduxerint, adeoque ibidem æterna ducere bella improvisis necessariis cogerentur, aut certè ire magis vellent, quam cogi, ut exeat, cum in omnes latè provincias arma circumtulerint. Denique non ire ad castra Re-

ge

ge in illis non existente, quod quidem extra generale bellum vix valere existim; hujusmodi privilegium cum ante Mohaciense praeium nonnulli objicerent, Ludovicus sibi & patriæ infelix in iram versus hæc in frequenti senatu profudit: *Video ego unumquemque capiti meo excusationem, & salutem capiti suo quarere.* Ego personam, & caput meum ideo in hoc periculum adduxi, ut illud pro bhus regni, & vestra salute omni fortunae discrimini objicerem. Ne quis igitur sit, qui possit excusationem aliquam ignoriae sua capite meo praetendere neve possit aliquid mibi imputari: ibo ego D E O optimo, maximo bene juvante, cras vobiscum in persona eò, quò alii sine me ire nondunt. At nimirùm ire noluerunt, qui iniquō se pugnatos omnine prospexerunt.

XII. Sed hanc illius temporis Procerum pervicaciam fato cuidam, & ex ingenti, ac præcipiti apice gloriæ in ruinam declinanti Hungariæ eventus insequens cogit imputare. Quis enim animō concipiatur gentem ad bella natam, quæ vel sui reverentiā nominis, propè ad audaciam se hostibus inferebat, mucrones insidiantium infra suspicionem metus expetebat, in præliis acerrima semper fuit, tum, in illo fatali articulo, cùm hostis fines patriæ ingressus coëgit pro aris, & focis, pro conjugibus, & liberis, pro dulcissima patria periculum adire, Regem suum hosti objecturam? suas fortunas indefensas deserturam? certè etiam labante for- tunâ

tunā pro vindicanda Emerici Csibakii Præfuliis
Varadinensis morte, hāc nulla unquam gens
pro salute sua, pro publica dignitate, vel in-
tentiore studio, vel graviore impetu, vel ma-
jore celeritate ad arma convolavit, quid Hun-
gari pro Rege erant facturi?

XIII. Permansit ea virtus ad posteros si mi-
nūs in suo robore, in indiciis bellicis, ut scri-
bit Vinandus de splendido eorundem militiæ
apparatu: Rudolphus illustrium turmas aliquot
instructissimas secum traxit: Attilæ provinciarum
domitoris vītrices copias representare videbantur
armis, atque vestitu. Equorum nobilium colores
atque pictura varia, gemmis, aurōque nitentes
phaleræ, mariorum hominum ferorū apparatus,
feri vultus, virgatae tunicae, thoraces, & loricæ
biles, trihæcque clavis aureis, argenteisque di-
stinctæ. Ithyrai arcus inaurati, & encaustiō pi-
cti, pharetrae coccō, purpurā, pellibus peregrinis,
ac raris tecta, & ornatæ, lanceæ coloribus variis
depictæ; è ferro fabricatae clavæ, mallei ponde-
rosi, atque inaurati spectantium oculos satiare
non poterant. Atque inter cetera generosa nobis-
titatis, militaresque virtutis insignia præmine-
bant extensa aquilarum ala ingentes vastis cly-
peis inbarentes, vel auratis galeis impositæ: veter-
sum decus nobilis apud Hungaros familie, &
principua fortitudinis bellicæ apud posteros insignia.
Maxima cum his habebantur victoria præmia,
ac veluti laurea quadam eximiae pro singulis bo-
stum capitibus pennas accipere, & crebris vi-
ctoriis

(160)

floriūs multiplicare , plurimas ē cassidibus , aut
lanceis pendentes efferre , & referre in præli-
um , per castra , & urbes ē capite circumferre ,
& quod fortè gregariorum fuit , cute per-
foratâ temporibus infixas gestare
gloriosum .

F I N I S
Partis Primæ.



PARS

PRIMA QUINQUE SÆCULA
R E G N I
MARIANO.
APOSTOLICI

Denuò

Ethicè adumbrata.

PARS POSTERIOR.

HONORIBUS

*Perillustrium, Reverendorum, Nobilium,
Excellentium, ac Doctiss. Dominorum.*

D U M

In Alma Episcopali Societ. JESU
Universitate Cassoviensi.

PROMOTORE


R. P. FRANCISCO PINKA
è Soc. JESU, AA. LL. & Philosophiae Doctore, ejusdemque Professore emerito, nec non Facultatis Philosophicæ p. t. SENIORE.

*Supremâ AA. LL. & Philosophia Laurâ
ornarentur,*

à METAPHYSICIS CONDISCIPULIS
Dicata.

ANNO MDCCXLVI. Mensē Julio Die

CASSOVIÆ, Typis Academicis Societ. JESU.



PERILLUSTRES,
REVERENDI, NOBILES,
EXCELLENTES, AC DOCTISSIMI
DD. NEO-DOCTORES.

TSupremæ Laureæ, quam præclaris meritis Vestris bodie decrevit Philosophia, Nos quoque pauca innedremus folia, facile persuasit noster in Vos, DD. Neo-Doctores, affectus, quem sibi totum, & singulorum doctrina, & Virtus, & re aliqua animi dotes jam alias devinxerunt. Nimirum non ignoramus, cùm ē re Vestra parum futurum, tum verò à nobis perquam alienum judicavimus, si restes tantummodo bujus gloriae Vestrae adessemus; nisi simul munus tantillum adderemus. Jam porrò circumspectantibus, quid potissimum conveniret, nibil, seu ad propositum nostrum accommodius accidere potuit. seu ad indolem Vestram Patria antiquissimam debuit, quāo, si alteras partem libri, prima quinque Sæcula Regni Mariano-Apostolici prosequentem, in lucē denuò ederemus. Minor ea quidem mole, ac prior fuerit; verū materia, & fructus suppar, ut que formans Regiminis Hungarici primū; tum nobilissima in Regnum merita utriusque Reipublicæ, sacra videlicet, & profana; subinde dotes primædas Regnicolarum, virtutes cum primis Heroum, fidem subditorum in Principes, fædera cum viciniis, borumque reciprocām benevolentiam; postremò indolem Popularium, institutionem juventutis; denique Artes liberales per-

eleganter proponit. Atque vel binc reveri non possumus, ne munus nostrum non sit Vobis longè gravissimum, quorum animis princeps ea semper inse-derat cura, ut post cognita naturæ arcana, perspe-ctæ cœli æquæ, & terræ phænomena, Patria quoque Vestræ adolescentiam (posteaquam ortum annid jam ab binc und vidistis) progressusve non ignora-retis. Et sanè erit istud conditioni Vestræ perquam accommodatum: nam, cùm necesse habeatis, aut in Ecclesiastica, aut Politica Republica reliquum, quod superest, vitæ transfigere, discessis utriusque, & Ma-jorum Vestrorum præstantissima facta demirari, & corum virtutes cunctas imitari. Nec est am-plius, cur pluribus quemquam ad lectionem Libelli provocem. Legat, quisquis volet; &, nisi præocu-patum animum habeat, judicabit materiam ejus dignissimam, stylum dilucidum, sensus peramenos esse. Deprehendet, quod hystoria amariem non mi-nus eruditat, quam delectet. Agnoscat denique in compendio, quod improbo fortasse labore ex pluri-um Scriptorum monumentis vix collegerit. Hunc, igitur, dum bonori Vestro nos sincerè inscribimus. Vos eundem pari animo complectamini, &, ubi tempus suppetet, etiam Doctoralibus ornati insigni-bus, legere, ac releggere non dedignemini. Quod uti nobis pollicemur, ita hodierna Vestræ gloria iterum, iterumque festivè acclamamus, longadam incolu-mitatem exoptamus, demum è Lauro hac fructus latissimos in utilitatem publicam, & abs dubio in Universitatem quoque nostram redundaturos, vo-remus.

HONORI VESTRO

Adictissimi
Condiscipuli Metaphysici.



PARS SECUNDA.

CAPUT I.

Forma regiminis Hungarici monarcica.

I. **R**egnum, regiménq; duo quoniam nomina rem unam ferebant, utrumque monarchici, aristocratici, democratici, aut unius ex his compositi suscepit nomenclationem: at si posteriorum opinionibus infistere ætas satis admonet, ea tenenda venit sententia, ut ambo illa discrimine hœc dissideant, quod regimen sit omnibus regendi formis commune, Regnum cum monarchico conveniat, in quo summa cum potestate unus cæteros regat, genus utique præstantissimum, si regendi principium æternam, si bique soli sufficientem mentem, si plerasque terrarum plagas, si nata, denataque cum tempore imperia, si denique Ethicorum placita sequitur animus. In hanc gubernandi formam parte aliquâ consensus Procerum, postquam à Ducibus ad Reges, à superstitione ad religiem transierant, partim voluntas Numinis interprete Sylvestrō Pontifice Hungariam adduxit. Una superioribus sæculis felicitas defit, quod hæreditariô Principe non tenebantur: et si

A

enim

enim & de regio sibi postulabant sanguine, et eligendi arbitrium quærat hominem ex plurimis regendo parem, quem virtus faceret, non nascendi felicitas Principem; tamen & inter coniunctos diversâ lineâ Principes nascebatur contentio, & inter clientes pro patronis æmulatio, insuper & Regia nascientium indoles, & à directrice providentiâ disponitur, & nato jam Regis Principi non aliud deficit, quam ut in munia educetur.

II. Attila illud peccantis Europæ, aut Imperii Romanis suâ mole laborantis fatale sidus, partim virtute militari, partim ambitiosâ ferocia eò se sustulit, ut unus Occidenti, & quæ sub Arcto rigent gentes, Regem se nominaret, & fortè suum ideo fratris concitô in innocentem scelere hausit sanguinem, ut neminem haberet, qui pari potestate divideret imperium, quod Orbis universi meditabatur; at ipsum istud fulguris instar erat; illi ergo debita fuit monachia, qui pietate regeret populos, soveret clementiam, non attereret feritate. Erat quidem Attilæ animus maximarum rerum capax, ad patranda gravissima audax, imò etiam ad vicinorum animos opportunè devincendos admundum liberalis; hos tamen faciliùs humanitate cepit, ad quos flagellantis iræ, aut cædentes furiæ non pervolârunt: cæteri ut à leone jubas dejecto, & velut dormiente sibi cavebant, cui credendum est, donec fameat, aut irritetur: redit nimirum ad unques, & sanguinem, & leo, & homo feritati assuetus. In alia proinde tem.

tempora DEUS regnorum arbiter, alteri provi-
debat Principi Monarchiam Hungaricam, ne-
que diffusam illam Orbe Europæō, sibique ægrè
cohærentem, sed è reliquiis Romanæ molis,
quam dum insanâ ambitione vellet gyrate unus,
pluribus & fatô rerum, & Divis famulante eti-
am malô divisit imperium, ad subditorum felix,
ad Regum facile regnum, maneretque hodie
Romanum Imperium, pareret unâ pulc errima
regna, quæ unus antea quam miserè vexabat
homo, an tyrannus.

III. E divulsa iam mole partem terrarum in-
federat Hunnus, hanc novô titulô possedit Ste-
phanus à Pontifice Rex nominatus, consenti-
ente imperii Majestate; ut, dum inter utrumq;
imperii caput se attolleret Hungarus, nemini
tanta gratia suis distracto tumultibus veniret in
desiderium. Tanti ergo beneficij gratiam redi-
diturus qualicunque benevolentia, inter ordi-
nes, quos quatuor disreverat, primum fecit
Pontificum, tum nobilitatis florem, è quibus
primæ legerentur dignitates; deinde nobiles,
quibus æqua semper esset potestas per eximia
merita ad primos honores ascendendi, tum de-
nique civium ordinem, qui quoniam plurimis
gauderent nobilium prærogativis, liberas ap-
pellavit civitates, in quas convenirent, qui sparsò
totis agris velut agmine commorabantur. Ean-
dem partitionem à Stephano factam, aliis discre-
vit gradibus Matthias Corvinus in oratione,
quam habuit ad Regni status de suscipiendo con-
tra Hussitas in Bohemia bello, tum è Pontificis

arbitrio, tum è commodis Regni Hungarici, cui nisi bellandi præ manibus foret occasio, omnis pariter gloriæ, & divitiarum abefset copia. In hac divisione prima, quæ res curaret sacras, adefset consiliō, & votis ad superos fundendis, erat sacrorum virorum; alteram militaris ordo ficeret; cui quidem nobilitas omnis augeret dignitatem, eō tamen ordine, ut inferior bello pararet militem, splendidior Duees præponeret, & dum his obeundum esset, illis ad successionem, & dignitates militiæ pateret gradus. Colonorum ultimam ipse posuit, & necessariā providentiā, ut reliqua Hungaria haberet, unde alimenta, cæteraque vitæ subfidia obtineret. At Colonorum genus nunquam statū nomine venire potest, cum libertate suâ non gaudeant, nec privilegiis, sed dominorum clientelâ proteguntur, nulla illis vox in senatu, nullum suffragium in electionibus. Hanc verò ipsam ordinū distributionem non suô, sed primi Regis ingenio explicuit Matthias, quanquam enim ille decreti sui primi cap. 3. Pontifices tertio ponat loco, quia tamen ibi Mysteria Sacro-sancta commiscet cum officiis hominum, dum religioni primum, Ecclesiæ secundum statuit, ideo humanas inter Reipublicæ Christiano-civilis dignitates illi sunt collocati, qui proximi sunt ad cultum Divinum promovendum, quorum suffragiis ipse, studiisque Rex audirebat; inde statum militarem nominavit, quô Baronum, Comitum, Nobilium omne genus comprehendit, laudatq; illos esse regni propugnatū,

tum, defensores imbecillorum, expugnatores ad-
versariorum, coagentatores monarchiarum,
fratrum, Patrūmque locō habendos, servos mi-
nimē nominandos. Quia tamen Dux, qui im-
perat, & miles obtemperans eodem gradu vix
consistunt, ideo alter ordo Magnatum est prio-
rum nempe Nobilium, tertius secundi ordinis
Nobilium, quorum singuli suō privilegiō fun-
gerentur, tertius eorum, qui communi nomine
idem participarent. Horum jura omnium pri-
usquam pateant, dicendum venit de summa
Majestate.

IV. Summam Regni potestatem ordinariō
jure Hungariæ Reges habuerunt, qui nullō con-
forē jura dabant; iāveniuntur tamen in ejus-
dem historia magna alia nomina, Interregum,
Ducum, Gubernatorum, & quos locumtenentes
Regios vocant. Interregis titulō adornantur à
nonnullis illi, qui legitimo Rege coronatō, ac
vivente, attamen per ætatem impare ad ver-
sandam regni molem, vel etiam gravibus de-
causis pulsō ipsi solium, & coronam tenuere;
in horum ordine primus fuit Ovo, Aba vel Al-
boinus, qui pulsō ob tyrannidem Petrō regnum
obtinuit non meliore multum elogiō. Alter
Bela I. hic enim Salomonis ætatem anno post
natalē lucem quintō coronati supplevit, ter-
tius Geysa, qui votis omnium contra Salomo-
nem regnavit, post hunc pari animorum con-
fessione Ladislaus regendo admotus, ne Respu-
blica caperet detrimentum, cuius primū hu-
meris onus accepit, at fatis concedente Salo-

mone etiam capiti coronam admisit. Quintō
deinde locō, & sextō Ladislaus II. Stephanus IV.
filii Belæ cæci vivente adhuc Stephanō III. mi-
tissimō Principe partim vi, partim clanculō ab-
latā coronā regnārunt ambo annum non inte-
grum. Gubernatores usque ad cladem fatalem
binos habuit Hungaria, ambos Regiā dignitate,
si superis placuisset, ornari meritissimos, Joan-
nem Hunniadēm pro Ladislao posthumo in cu-
nis à Cardinali Zechio redimito, & Michaëlem
Szilagium pro Matthia ē carcere ad solium annō
ætatis septimō, & decimō evecto. Locumte-
nentis nomen, & munus obtinuit unus, bene-
si memini, Bancbanus pro Andrea in Sarace-
nos profecto, nisi fortè jure ordinario absentis
Regis locum Palatinus tenuerit, quoniam verò
rariūs à regno Reges aberant, ut Ludovicus in
Italia, ideo rariūs id muneris gesserint etiam
Palatini, ē quorum gestis id planiūs patebit.

V. Regiam in Hungaria dignitatem advene-
runt longo ordine ex profapia sanctissimi Regis,
à quo quia nullus lineā rectā descendit præter
Emericūm celeri fatō patri præmortuum, id-
circo ex ejus sorore nepotem, filium Ducis Bur-
gundionum nomine Petrum admovent regno
dictum Alemannum, sed brevi externō regimine
saturi pulsō priore sororis alterius maritum Abam
substituunt, sed utriusque pertæsi tyrannidem
ad Andream animos & sceptra conferunt, is
erat Ladislai Galvi patrui S. Regis filius, qui, ne
quid à successore Petro gravius pateretur, unā
cum fratribus Bela, & Leventa, consiliō Divi Re-
gis

gis abiverat sponte in exilium, maiore cum gloria, minore periculô solium aliquando ascensurus; evocatus ergo ex Polonia institiâ simul, & clementiâ regnum erigit, & quamvis à fratre Bela successore regni præliô cæsus fuerit, filium tamen reliquit Salomonem, etimque quinque coronaverat; sed hunc ad aliud vitæ genus evocaturum Numen sibi adeo reliquit, ut illi Proceres substituendum Geysam, mox Ladislauum censerent; cùmque huic satîs fuerit plures post se relinquere victorias, fortitudis filias, nullum hæredem regni, ideo Colomannus Geyse junior natu filius regnat; post hunc Stephanus II, eoque abdicante Bela Almi Ducis cæcicæcus filius; huic Geysa filius succedit, & nepos Stephanus III. cùm interregno Ladislai, & Stephani IV. & Bela & hujus filius Emericus; Emericum secutus primò Ladislaus filius, mox alter Ladislai frater Andreas Jerosolymitanus. Huic Bela filius Tartaricâ incursione, & vastitate memorabilis, Stephano V. filio felix, sed infelix nepote Ladislao Cumano. Tertius inde Andreas cognomento Venetus, quia ex Stephano Andreæ II. filio diu apud Arragones vago, ac tandem Venetias appulso genitus, ultimi erant Carolus, Wenceslaus, Otho Bavarus, Carolus Neapolitanus, Ludovicus I Regum facilè felicissimus, cuius mortem indictis comitiis infelix aspexit, & tum suo, tum regni dolore trienniô luxit Tyrnavia. Tanto Principi, imò meritis illius filia succedit Maria, & Carolus parvus Neapolitanus, in quo quatuor sæculis pro-

pagatum sanctissimi Regis genus finem accepit.

VI. Poloniæ genus alterum, & Bohemi quatuor Hungariæ Reges dederunt Wenceslaum, qui affinitate, & fortasse pretiō acceptō Othoni Bavarо sceptrum dedit, quod hic unā cum corona primū per incuriam amisit, deinde perdidit pulsus imperiō. Uladislaum I. infelicem, II. inertem, & quod caput, in filio infelicissimum. Tertia prosapia (quanquam & ista Bohemicum genus, è quorum regno fuit ille Cæsar) Caroli IV. Imperatoris Sigismundum dederat Regem, qui cum summa Cæsaris dignitate Hungaricam conjunxit, sed socii felicitatem non est assecutus, cuius masculâ prole carentis filiam acceperat regni arrham. Quartō locō venit in Hungariam fœcundissima Cæsarum parens Domus Austriacorum Archiducum, è qua primus Hungaricam tulit coronam Albertus per Elisabetham in conjugem acceptam, verūmque jam tum audiebat felicem nubere Austria, atque suavissimâ arte connubiō regna licitari. Quinta stirps Corvinorum fuit ex ipso iterum sanguine patrio, quæ in gubernatore uno, Rege altero, duce tertio fortissimorum Regum superavit memoriam. Gallica Domus una emansit, quæ Sarmatiæ dedit Reges; adducenda hæc fuerat in Ludovico Valesio à multis Proceribus invitato, sed corrivali fortunam anteoccupante solum sui reliquit desiderium; mirum id fortasse videbitur illis scriptoribus, qui Gallis, & Hungaris recte ad invicem convenire sentiunt, & non

vana

vanâ conjecturâ, nam dum transituris ad Palæstinam aliis Europæ nationibus trajectum negabant Hungari, Gallis sub Ludovico sancto adeo non inhibebant, ut etiam collatis muneribus, omniumque subsidiorum genere foverent; cuius quidem amicitiae causam aliqui ex ipso utriusque gentis idiomate eruunt, sed parum aptè, quòd si Caroli V. Cæsarî maximi æqua fuit mens Gallicam linguam domicellarum cho-ro destinantis, quod Hungarico, masculoque sermoni parum congruere videtur; at præsentior illa potest afferri ratio, quòd Ludovici sancti exerceitus pace maximâ, procul omnibus rapinis, aut injuriis iter fecerint benignitate, & comitatem Christianos demeriti, in hostes iras translaturi, alii ex adverso, dum hostibus minabantur excidia, socios deglubebant.

VII. Jam Hungari è tanta gentiū, humorumq; varietate lectis Regibus, quàm varium, quàm difficile subiverunt imperium; dum unò ferocius imperante premi non vellent, alterò lenia omnia coniuvente regi se non fentiebant; dum otio omnia torperent interdum, ad atrocissima postliminio cogebantur, & quam unius ductu indolem obtinuerant, exuenda fuerat alterius adventu. Facilis equidem foret obsequendi ratio in subditis, si Principes minus ex ingenio, magis ex arbitrio legum suis præsent. Namque ut Regum omnium summa est ratio muneric popolorum saluti prospicere, ac felicitati, ità Hungariæ singularis fuit eam procurandi modus. Qui apud cæteros Regi libera

fuit potestas condendi leges, rescindendi, aut
immutandi ex necessitate temporū; apud Hunga-
ros Rex, & populus quā parte Prælatos, Proceres,
Nobilésque complectitur, id faciebant; quan-
quam enim populus imperandi potestatem una-
nimi consensu dederit, quia tamen subditi suum
ipſi sentiunt jugum, optantque non violentē gu-
bernari, eapropter rogabat leges, modūmque
posuit tacitō quasi pactō, quo gubernetur. Ne-
minem sanè latere potuit unquam Regem legi-
bus à se conditis non teneri eo sensu, ut cogi
possit, at certè obligari, ut est censuram DEI vin-
dicis aditus, & gemino illo juris axiomate,
quorum alterum imperat: *patere legem, quam*
tuleris, alterum & *Princeps Reipublica membrum*
toti non dissentiat, quod utrumque necessitatis
nempe, & æquitatis genus Ethici vim coactivam,
& directivam nominant; postremum illud effet
proprium Regibus, prius autem subditis, at Hun-
gari ab Andrea II. ob eximia sua in bello erga
Principem studia, fidemque singularem etiam
vim coactivā obtinuerant, dum potestatem acce-
perant sinè nota infidelitatis insurgendi contra
Regem, dum ille ruinam regni vellet manife-
stam. At lege hâc ætati temporum illorum
permissâ, adducere perbrevi eas licuerit, quas
Hungari Reges obtinuerant ad regni salutem,
ad suam dignitatem, & sunt in decretis Regum.

VIII. Prima, eaque sancta lex est regni à san-
ctitate nati *Regem debere esse catholicum*; qua-
lem enim regno, ut memini, planè catholicis-
funo imponere deceat Principem, nisi religio-
nis

nis Catholicæ amantissimum; certè si monstrum est corpori humano cervicem imponere equinam, monstruosissimum fuerit Christiano populo caput hæreticum intrusisse. Ex Romano imperio ad Hungaros lex ista promanavit, ut adducta in suam Christi Ecclesia dignitatem protectorem haberet sanè Catholicum, qui etenim Christum proteget antichristus? lex hæc sanctissima quemadmodum in Occidentis imperio tenuit semper, ita in primis quinque Hungariæ saeculis; nam quod Andreas I. fuerit visus favere idololatris, nunquam tam atroci labe sordidavit animum, sed ut felicius perveniret ad habendas regni, neque aliquid obluctarentur gentiles, quod emendare in vestigio non potuit, dissimulare maluit correcturus in tempore, quod proborum manu cingeretur; quod Ethicum dictamen præstantissimum est, atque utilissimum, si modo non defluat in pseudopoliticum, quod privati spe commodi tamdiu connivetur errori, donec erumpat in ruinam imperii, nec tam id fuerit indulgere necessitati, quam nolle operi ferre probitati. Ladislaum Cumanum ipsum adeò errori adhæsisse putant aliqui, sed errant, nam, dum anathematis fulmen à Pontifice, à DEO permisam per suos clientes mortem sustinuit, poenam insanæ libidinis adiit, & amoris mulierum, quæ apostatare faciunt sapientes, è fortibus imbellies, aut in suæ vanitatis obscurium enervant.

IX. Alteram ipse conditor exemplō suō dedit, & scriptō ad Emericū Ducem, ut ē regni

Procerum consilio regat, ea quidem ratione, ut hanc illis deferendo gratiam, apud populos addat autoritatem, sive quia fortitudinem militum, hebetudinem fore dicebat Regiae dignitatis, & proximum lapsum ad regni ruinam. Hanc eam constantiam retinuerunt Hungari, ut quibus faveret sanguis ad solium, aetas deesset ad moderationem, tutores adderent, ne levitate ingenii se perderent, subditosque. Quod quidem Gubernatoris munus ut est authoritatis permagnae, & frequentius odiosae corrivalibus, ita studiosum Reipublicae, ac necessarium debet esse, quod nisi caruisset Ladislaus posthumus, unquam Comitem Ladislaum vitam, Hungariam fortissimam in Turcas Duce, ac ex paterno sanguine felicissimam spoliasset. Nimirum & fides talium, & hujus defectu amplior numerus est adhibendus. Hanc de sapientum consilio legem nisi neglexisset Petrus, & Ovo, excidium regni, & vitae non adiisset.

X. Quid erat Matthiae in Hungarorum animis charius, illustriusque? quod duce ad incomparabilem gloriam enī fuere, at ubi Procerum aspernari consilia, suspicari in avunculum, etiam carcерem apparare; tum enim verò vidi alium regno inferri Regem, jam jam coronandum, nisi placato Strigonensi Præsule periculum prævertisset; sunt nimirum Regibus vires, & manus longae, sed sive fulcro ævum non ferunt; nunquam ita graviores subditi eligunt Principem, ut aliquam regendi partem sibi non reservent. Habet semper senatus antiquior & consilium, quod
Prin-

Principem adjuvet, & quandam honoris tenacem appetentiam; ut audiri velint, dum agere prohibet ætas. Vix adducor, ut Tartaricam Hungari subiissent cladem, nisi Bela IV. optimô quidem consilio, sed exemplô singulati Cumanos præ Hungaris habuisset, ut maluerint hi, & Regis casum, & regni ruinam pati ex dolore. Juverit, nihil moror, exterios adhibere consilio; sed domesticos est necessarium, illi frequentius commoda sua, frequenter ex diverso populorum usu, indoléque, isti salutem patriæ plerumque curant.

XI. Tertiam legem omnium vota populorum petunt: *Habere domi Principem.* Ejus rogandæ mens Hungaris semper fuit, sed ardor increvit maximè, quando Reges plura simul regna obtinebant, ne procul in Poloniæ, Neapolis finibus abessent, quæ Sigismundum etiam Romanij Imperij Cæsarem tenuit, ut certè aut longius, aut diuturnè non eō carerent; durum siquidem est quasi ablactatos haberí, & quodammodo luce tantum lunari, non ipsō sole frui. Habet verò lex ista ingentia commoda, si servetur, neglecta habet incommoda; Regi siquidem in ipsa patria, aut vicinis limitibus residenti omnia sunt in oculis, ut omnia ipse agere videatur; quanquam enim, & manus illis longæ, & aures in rumorem apertæ, felicia tamen sunt regna oculis subjecta fidelibus. Omitte hic emolumenta œconomica, quæ ratio facit, ut sicut Græci Homerum, ita urbes singulæ sibi Regem vendicent. Cur veteres gloriantur urbes

magnitudine, magnificentia suâ? quia Majestas Regia hæc secum trahit. Quid profuit urbi septicolli? quâm quia in eam universus terrarum confluxit orbis, pars opes conferre coacti, pars liberâ sponte obtulerunt; illuc aurum vivô populorum concurrit flumine, illuc artifices, & omne genus literaturæ. Quid Budam convexit unâ die 70000. perdicum p̄r̄ter alia rerum bellaria? quâm secuta R̄gem pompa. Quid Viennæ amplitudinem? quæ vix centum antehac annis angusta equidem urbs illa, & vix Europeis illis majoribus adjungenda? Princeps domesticus. Videre quidem est, fateor, urbes diu nullô Principe habitatas, & maximis pares; at verum est plurimas defecisse, si quibus fortuna favet, eō factum est, quia bonas egêre radices, & ut bene cæptis addere faciliùs, itâ ample inchoatas operâ leviore est conservare, dum amor patriæ nisi maximis cladibus cives à domo non avellit; nimirum Poëta canit: patria dulce solum.

XII. Paradoxa videtur quarta lex *In libertate conservet regnum*; quomodo regnum si liberum? quomodo non subditū regnū? at ista faciliùs conveniunt, quâm ut altercemur. Libertas alia domesticos fovet, alia ab exteris securos facit. Patria libertas his facile definitur, ut jura municipalia serventur, neque unius dignitas obfit alteri, aut lex quocunque ventô evertatur. Sunt in regno potentes, & locupletes, sunt modicis constricti fortunis; quâm primum est grandia cete graffari in alburnos, quâm quotidi-

tidianum leones ovibus exsatiari, alta nomina turgere sanguine, & sudoribus subditorum! nec subditos ergo sinant opprimi Principes, nec Procerum fastigium ab inferiore subsellio non coli pro dignitate. Illi sunt, quorum potentia Rex ad summa utitur, isti, sine quibus nec magni, nec Reges vivere possunt; ita rerum fert ordo, ita natura, ut nec turres stent sine fundamentis, nec sine radicibus arbores fructum ferant. De libertate ab exteris Hungari quinque saeculorum, si Tartaricam calamitatem excipias, quam pene vix erant, dicere cum veritate possunt: nemini servivimus unquam. Vestigales habuerunt Bulgaros, tributarios Cumanos, his imperarunt pecunias, illis homagium, ipsi nemini pependerant nisi pro diademate, ne sanguine finitimorum haustu sibi crearent invidiam; oppida in pignus conjecerunt levi sanè, sed necessario, dum ita tulerunt fata Sigismundi. Inde ortum habuerunt geminæ leges, altera, ne diadema regni extra fines educeretur, altera, ne regni facultates obæret, aut metas immutet, imò ne possidentes perturbet, aut jumentis regiis molestias inferat, sed jura tueatur singulorum non turbatō jure procedendi, donec illud non dissonat veritati.

XIII. Quinta lex epitome legum, & firmamentum: *Jurare regno*; testatus hanc sacrosanctam ceremoniam, ita se obstrictum esse ordinibus, ut si recte gubernaverit, horum fidem experiatur, si secus, vindictam Numinis extimescat. Sunt magna Regibus nomina, sunt & for-

& fortunæ, sed non summæ. Arbitr Princi-pum, & populorum est DEUS, his interdum aut vires dat, aut submittit, ut asperati tyrannide regni jugum excutiant. Hoc jure Christiana re-gna præstant ethnicis quantum maximè, nam illis æquum videbatur pro libitu aut sævire, aut blandiri, obsequi, aut tumultuari; Christianis aliquid inest regnis beatius, nam Reges fide-liores habent subditos, Populi Principes clem-entiores. Unam denique ultimis natam tem-poribus legem pro coronide placuit adjecisse: Exercitum interteneat, & defendat regnum ex proventibus coronæ. At quid ista sibi lex im-perat? an non quidquid Hungarus, idipsum mil-les erat, dum Stephanus subditos universos non aliò, quàm militum nomine definit, dum propugnaculum hoc Republicæ Christianæ prä-ter calones & lixas alit nihil, quàm bellò vi-ros; ergóne omnibus Rex unus providebit? ità quidem dum populus, & regni bona sunt Re-gis, at strictius illa lex posterioribus edita temporibus sonat, cum interiorem regni fi-num Turca subintrâisset. Quanquam & his tem-poribus an coronæ regni proventus, ad sumptus regios, reparationem arcium, alendos milites abundè suppeditant, illi redigant in nu-merum, qui quæsturam exercent, & helli artes.

XIV Nunc ad favores Regum ex legibus ortos mentem advertamus. Habet ille summam condendi leges potestatem, ut quando alii rectè rogant, ipse clementer annuere possit; habet senatum omnium ordinum, à quibus nu-mero

merō pluribus, experimentō doctis, usu rerum exercitatis pro rerum difficultate possit capere consilium; habet viros pace, bellōque potentes, qui ferant auxilium. Non aliō fine Romanis fuit ordo patricius, aut Athenis Areopagi senatus, quām ut hi oculi essent Principum, & Reipubl. essent manus. Habuit & Hungaria viros togā, sagōq; præstantissimos, manu, & consiliō promptissimos, ut historia planum facit. Jam si ærarium impexeris, regnique facultates, fortunas subditorum, omnes ad nutum habuit, quamdiu violenta rapacitas animos non avertit. Ad illius nutum deficientis bona familiæ, læsæ majestatis reorum opulentia recidebant, ut haberet, unde bene meritis largiretur. Alterum ad dignitatem, & clientelas conciliandas valet, quod creandi nobiles potestatem, promovendi ad honores, dividendi munia tum politica, tum ecclesiastica. Extremūm, licet subire litem teneatur cum suis, ubi de regalium bonorum metis oritur quæstio, quām tamen & istud consonum est æquitati, & jucundum subditis non majestate certare velle Regem, sed æquitate; quam tamen juramento firmare non tenetur, nec ullum crimen incurrire potest, quod quidem si latissimè pateret, haud posset videri minimum, nisi maximum esset peccare non posse.

C A P U T H.

In Regno Hungariæ Ecclesiastici ordinis dignitas.

I. Regnum Hungariæ, cu'ns terras majorum fortitudine partas, nascendi felicitate, & providentiâ Numinis adeptus Princeps Stephanus, eâ quidem conditione in Regni dignitatem, ac titulos eyehi à Pontifice postulaverat, ut non modò fidem orthodoxam suorum animis instillaret, verùm etiam paternæ protectioni sedis Apostolicæ subjiceret, ut si Italia patrimonium S. Petri audiret, Hungaria potissimum audiret Apostolica, quòd tota obsequiis Apostolicæ sedis, tamam se patrocinio commendaret. Atque ut beneficium tam insigne obtineret, semper adversus Ecclesiæ hostes in procinctu stare, eidem vires omnes, consilia, sanguinem impendere decrevit imprimis, tum etiam Ecclesiastico ordini Principes dignitates, & subsellia contulit, beneficia amplissima, & Nobilium clientelas admissit, quæ omnia partim liberalitate Regum, partim Procerum largitione fuisse collata produnt annales. Et ne consecratas ipsis altariibus facultates, quæ sicubi gentium, in Hungaria certè profusissimè sunt addictæ, ut reliquæ tristes etiamnum testantur, tum in ædium sacrarum augustis ruderibus, tum in sacrorum apparatus, qui aurô gravis, gemmis illustris, dives unionibus, & margaritis priscam pietatem commendant adeò, ut crederes nulli, quām Divinarum rerum obsequio aurum, gemitasque dictata

cata fuisse; certè paucula hæc, eaque levissima,
 quæ acerbam temporum invidiam, vastatrice
 harpyarum manus, Turcarum, Tartarorum, Hæ-
 reticorum ungues effugerunt, tanta sunt, ut
 quanta interiverint, non sit integrum admirari.
 Una Elisabethæ Reginæ ara sexaginta millibus
 aureorum æstimata, cui non basilicæ cum digni-
 tate inferenda; unum, quod vocant, rationale
 Stephani septuaginta marcarum auri pondere
 appensum. Labor penè unus Reginarum fuit,
 & quæ has nobiles fœminæ sequebantur, aut
 obsequio, ornamenta altaribus texere, uti do-
 naria antiquissima abundè testantur. Sed licet
 ista sint attrita usu, situ ipsò dissoluta minorem
 faciant fidem; augusta certè templorum rudera,
 sectus olim, modò dissipatus lapis, dolorem
 animo, lachrymas oculis excutiunt, utraque
 tristi memorie ministrant alimenta. Non ad-
 fer hic donaria missa Romam, Jerosolymam,
 Constantinopolim, & quæ sunt aliæ gratiarum
 sedes, ac electa Divum domicilia; illius memi-
 nisse te ne pigeat, sub Ludovico I. cùm Strigo-
 niensem Ecclesiam Nicolaus Monosloj, imò uni-
 versam domi Primas sapientiâ, & sanctitate gu-
 bernaret, foris & sagô in Bosnia belli signa cir-
 cumferret, tertiam imò amplius regni partem
 aræ, templa, ac horum administri possidebant.
 Absit tamen invidia dicto: hæc enim tanta Ec-
 clesiastici ordinis potentia eam traxit præroga-
 tivam, ut nullo sub Rege, aut felicior antea,
 aut splendidior Hungaria apparuerit. Nec omit-
 tendum illud: quod Episcopi cum quatuor Ab-
 batii-

batibus, sex Collegiis Canonicorum, duobus Præpositis, totidem Prioribus, amplius octo millia militum contulerint, pro confirmatione Romam 20000. ducatorum pependerint, præter taxam Cancellariæ Regiæ dari solitam, ut omittam minores Abbates, Conventus, Præpositos, & Cœnobia propè totum exercitum conjectura.

II. Atque tam amplæ facultates à Regibus, & Proceribus collatæ ortum habuere ab illa singulari reverentia, quâ hunc ordinem prosecuti semper fuerunt, atque ad augendam ejus dignitatem omnia contulerint, quæ ut in dies eminenter sublimius, præterquam quòd ratione Divini muneris, quô salutem animorum procurare sunt nati, à primis inde Hungariæ temporibus maximis regni honoribus erant admoti, quia sapientia, sanctitate, accuratione gerendarum rerum imprimis præcellerent. De sancto Rege, & conditore accepimus ab ipsius testimonio, eum nihil clitra explorata Præfulum consilia gesisse, eō planè imbutus animo, ut crederet quæcunque sacerdotum, eadem sacerdotum Principis DEI nutu geri solere. A quo exemplo tracti successores, primò semper loco habuere Episcopos. Et sanè habebat ea res ingentem fructum, atque Christianæ probitatis incrementa, industriam singularem; eō quòd vel ex monastica disciplina assumpsi, vel sanctissimorum virorum doctrinâ, exemplis, consuetudine imbuti non nisi sanctam adferrent mentem non è privatis, ac humanis, sed è DEI, ac proinde regni

regni commodis Reipublicam regendi, Regnum DEI temper præponentes. Quæ res quām salutari consilio constituta sit, tum felicitate Hungariæ, tum exterarum provinciarum regimine fatis elucet; nam cùm hæreditates non accumulent, nec sobolis, aut prosapiæ solicitudine teinantur, tutiū, ac plenioribus velis publico laborant.

III. Elucescit id ipsum præstantissimorum Antistitum exemplis; Astricus enim ille Stephani in consiliis oculus, in senatu orator, in gravissimis regni curis dextera, in omnes regiminis eventus felicia ingessit consilia, coronam à Pontifice Legatus obtinuit, pietatem cum aulicæ vitæ splendore ità conjunxit, ut etiam prodigiis splendesceret, ac præsertim mortui ad vitam revocatione, quæ quantum Stephani studia, zelum, sanctitatem adjuverint, ille unus ignorare potest, cui probitas displicuerit. Nec posteriora tempora suis caruere Præsulibus: Panfilius Romanum de sua apoteosi examen evocavit; Boleslaus locustatum examen à vinearum demolitione precibus avertit; denique sanctissimorum eorum Patrum, quod quidem prodigiī genus, & præstantissimum, & utilissimum est, curâ effectum, ut fidei in regno integritas ab omnibus circum grassantibus hæresum, & schismatum furii maneret inviolata, & viros domi eruditione, ac sanctitate quām plurimos germinaret, quorum hic adnectere catalogum non erat operæ pretium, cùm obvii sint catalogi Sanctorum, & opus esset improbi laboris.

IV. Pro-

IV. Provocavit ea tam insignia studia clarissimorum Præsulum, ipsa Regum benevolentia, quâ nominati se Præsules, eligique videbant, atque ut Romæ placeret idipsum, ab eadem confici ad extremum. Nec Regibus ea benevolentia vacua fuit, siquidem majestatem suam eorum rationibus, eloquentiâ, beneficiis stabiliri plaudebant; crescentibus illis, & sua crescere commoda; inde suæ cancellariæ per ea quinque saecula Præsules præfecere, quô quid sublimius, regiō nimirum nomine decreta conficere, diplomata signare, & quodammodo sua cæteris beneficia dispensare. Imò munus illud sacro-fanctum quis penè non inviderit, Reges ipfos ungendo creare, sacro vertici regalem imprimere characterem, adorandum populis impoñere; quis non suspiciat! Regis thesauros suô penè arbitriô, certè custodiâ complecti, quanturam regiam exercere, supremorum fungi munere Comitum, eoque nomine dynastiam obtinere, ut & dicendi jus primùm habeant, & definiendi calculum; officia provinciæ distribuendi, vel certè proponendi candidatos, ac electos confirmandi. Præsules absente nonnunquam Rege, regio præsidebant consiliô, coronam, ac annexa illi insignia protegebant, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Banatum sustinebant, præter Primatis dignitatem, quæ cum Ecclesiastica sit, illis adhæsit perpetua, qui Strigonienses obtinerent insulas, natalibus sancti Regis insignitas.

V. Et cùm tanta agerent, bellóque darent militem, effectum est seu necessitate rerum ac temporum, seu Regum potestate, ut in bella aut duces prodirent, aut Regem sequerentur. In fatali illa calamitate, quando Bathus 500000. Tartarorum intundavit Hungariam sub ducibus octonis, Canadiensis, & Varadinensis Antistites commissis geminis præliis victores, mox fugacium hostium stratagemate victi propè periissent, nisi desperatis rebus immensæ multitudinis manus effugere cogerentur. Octo alii, qui Belam Regem comitabantur, dum ad Sajonem fluvium maximâ fortitudine patriæ, & Regis salute in tuto ponere laborant, deserti à fato, & concordia periverunt. Quibus si addas alios, qui usque ad Mohaciensem cladem furore hostium cecidere, conficent numerum vigesimum, partim ductores agminum, partim à latere, à consilio, à tutela Regum. Quod quidem officii genuis, nisi necessitas legem explicaret sanctitati tanti ordinis videretur minimè convenire, neque ullam ad id obsequendi habent necessitatem ex instituto sanctissimi Regis, qui potestatē providendi, regendi, gubernandi, atq; dispensandi juxta sacrorum canonum autoritatem confirmat, nunquam certè aut Martem sequi impellit, aut à canonibus id imperari contendit. Aulicorum certè nonnullorum sequiore politiā inductum memorat Inchofferus, ut quemadmodum tales in iura Ecclesiæ involant, ita præter juris ordinem, contra sacrorum privilegia ad arma compellere nituntur consilio minimè Chri-

stianò , imò & argumentô , ne sacri illi homines frustra occupent proventus regni , quasi verò tantum laboret pro salute regni , qui hostem ferit , aut eas impensas aliae curæ non satis , aut rectè sibi vindicarent . Quorum consiliorum quām felix fuerit eventus , patet ex bellis fatali clade finitis , ut & Præsulum plus Martem , quām Divinæ servorem charitatis spirantem audaciam reprimeret , & Procerum talia petentiū , si qui fuerint ; inconsultam providentiam .

VI. Excellentius erat alterum regibus obsequendi genus , & Ecclesiasticæ dignitati tanto convenientius , quanto promptius separari procul à patria illis , qui instituto sanctiore neque liberos , neque conjuges domi haberent procurandos . Legationis id munus erat , quod ad summos Europæ Principes , & Asiæ tyranum summa cum dignitate patriæ obiverunt . Astriacus hic ducem se præbuit nobilissimis , recensque professis Christum Proceribus ad Sylvestrum Papam , cui se offerrent filios , à quo referrent dia-dema . Secutus hos Stephanus Vaciensis uti in causa dispari , ità eventu longè infeliciore ; discurrebat ille propè per omnes Christianos Principes ad opem contra Tartaros ferendam , sed inani fatigò ; nam quis tam repentina occurret malo , quis in suas vulgus pessimum terras concitaret , videbant singuli ob protectos Cumanos trahi in cladem Hungaros , & cautè timebant , ne dum socia arma ministrarent proximis , essent socii calamitatum .

VII. Felicius ad Regem Bohemiæ Vitezius, feliciore consilio, quia quadraginta millibus aureorum onustus, & meliore causâ, ut Matthiam educeret in patriam ad sceptrum capessenda. In ora fluminis luculentam ille habuit orationem, ex qua Matthias nosceret immensa in se Vitezii studia, Bohemia disceret, quanta sit apud Hungaros paternarum virtutum memoria, Hungari accenderentur in Corvinam gentem, & dum gratitudine honorabant Patrem, filium non acciperent solii, sed virtutis hæredem: eâ denique dictione effici poterat si unquam vehementius, ut in æterna jungerentur fœdera Hungari cum Bohemis, nisi subinde pietatem impietas in discordiam provocasset, quando Matthias cogebatur hæresim profligare. Implevit denique Vitezius fidei amici constantiam, cuius deinde meminit Matthias: Cum Joannes Vitezius, cui Pater moriens nos unicè commendavit, nobiscum utramque fortunam subire non recusavit, pari quoque discrimine nobiscum in captivitatem inciderit, liberavit Bohemicō carcere, domi, forisque consilio, labore, operâ semper affuerit, dissensiones, & bella represserit, in Bohemica, Turcica, Transylvana, & Bosnensi expeditione vel suâ præsentia, vel copiarum auxiliis nunquam castra nostra deseruerit, & salutari demum legationis officio gravissima quæq; negotia feliciter effecerit, coronamque nunc sacram longo postliminiō retulerit, placet nobis, Patribusque eum, successorēsque suos ob singularem pietatem in D. Virginem, & Ladislai

Numen Comitatu Bihariensi perpetuò donare,
ut eadem officia commodiùs continuare possit,
& nos evitatâ ingratitudinis notâ haud indebita virtuti præmia perfolvamus.

VIII. Celeberrimam deinde à Matthia Vardaijus, & Vitezius cum Proceribus antea memoratis legationem peregit ad Fridericum Cæsarem pro corona pluribus jam annis exulante reducenda, ubi præter sexaginta aureorum millia, quinque ornatissimorum ordinis equestris Nobilium millia comparuerunt, aurô omnes, & armis graves. Nec multò inferior fuit illa, quæ Ladislao posthumo Prælati, Proceresque cum sexcentis ex Hungarica, Austriaca, Bohemica gente pari numerò juvenibus, parique virginum comitivâ abivere sponsam à Gallorum Rege educturi; quæ tamen inferior erat priore, quia invisum antea Europæ splendorem atratô Ladislai inter legationis tempora mortui si pariò obduxit; splendidior hæc, & ad pompæ magnificentiam exquisitor, si equos omnes pari colore, & magnitudine; comites legationis juvenes ejusdem penè ætatis, proceritatis, nobilitatis, pariter attonfos, & purpurâ vestitos; multi ex his torquati, per crines aureos gemmeis fertis revincti; totò itinere omnibus hospitiis, urbibus, supellectilem explicabant Regiae dignitatis. At nimirum urente nimium sol rādiò persæpe traxit tempestatem.

IX. Episcopis proximâ sunt dignitate Præpositi, horum alii Majores ob annexum sibi Canonorum collegium, alii minores sive talium

con-

consortio, quos in unum collectos capitula vocant, quorum ista fere sunt jura: conservare literaria bonorum instrumenta, confessiones in judiciis factas; adesse testamentis, & eorum executionibus, deposita illæsa custodire. Sua habere jura citra autoritatem Episcopi, & tueri, paria instrumentorum exhibere legitimè petentibus, sigillô propriô uti, & fassiones, exemptiones, privilegia obsignare, ut fidem obtineant; pluribus pro ratione proventuum, aut paucioribus personis constant, infra quinarium esse non possunt. Ex his alii columnarum nomine primas obtinent præpositus, lector, cantor, & custos veluti sacrarium sacræ fabricæ, cæteri fabricam ulteriorem constituunt. De singulorum muneribus, aut privilegiis agere non vacat; communia sunt gaudere nobilium privilegiis, ad comitia regni comparere; Vicarios generales, præpositos minores è suo gremio dare, & archidiaconos, ut Divina recto pergant ordine, visitent parochiæ, hæretici inhibeantur, canones obseruentur. Pari fere sunt jure minores conventus, ut hi etiam jus obtineant nobilium, fidei dignitatis testimonii præstandi, apud quos communites sunt archiva provinciarum. Sed hæc civilia sunt atque secunda, primum est noctes, atque dies Divinis adesse mysteriis, & operari, exorare DEUM pro populo, salutem procurare æternam, & commune bonum, atque tranquillitatem.

X. Præter complura hæc beneficia veniant in lucem è coenobiis suis amplissima monachorum, & religiosorum agmina, quæ veterem Hunga-

riam exornabant; quorum omnium, & canonici
corum sacratae catervae id habent laudis, quod
viros ediderint sanctitate, & doctrinâ clarissimos,
qui ad summa regni munia tam bonis auxiliis
ascenderunt. Et ne prima illa sanctitatis aureæ
tempora in mentem redeant, & Hungariæ nascen-
tis, quibus Astricus è Breunoviensi S. Benedicti
monasterio Colocensem, Maurus è monte Pan-
noniæ Quinque Ecclesiensem, Gerardus è cœno-
bio S. Georgii Venetiis Csanadiensem rexerunt
Ecclesias; subsecuta etiam tempora viderunt Au-
gustinum Gazottum è sacra Prædicatorum fami-
lia Zagrabiensem Episcopum, theologicis antea,
& philosophicis disciplinis insigniter eruditum,
pro patriæ tranquillitate labore, & sudorem
profudisse, donec factiosorum hominum æmula-
tiones perosus è Zagrabiensi annis decein, & se-
ptem administrata ad Lucerinam transivit, eam
que eruditionis, pietatis, misericordiæ splendo-
re annis tredecim, & gloriosâ morte illustravit.
Viderunt Paulum ex eadem familia juris utrius-
que doctorem, eloquentiâ clarissimum, prædi-
catione Christi domi, & apud Cumanos viginti
annos planè conspicuum, demum addita ad vir-
ginitatis, & doctoratus aureolas martyrii laurea-
ducem nonaginta sociis, cum iisdem eadem Cu-
manorum procellâ involutum.

XI Ex eadem familia suêre nobilissima vetu-
stissimæ Csakiorum prosapiæ germina Mauriti-
us, & Carolus, uterque admotus aris, alter ille
Deiparæ Virginis vaticiniô gratus Deo, & homini-
bus fore audiit; audiit & deinde exempla sanctorū
non-

nonnisi flexis genibus, & rorantibus per ora gaudiosis lachrymis; quorum suavitate illectus dum cœnobium cogitat, prohibetur, imò Amadei Palatini filiæ invitus despontet, hanc tamen intactam ad moniales impulit, ipse Dominicanos aditurus. Re Palatinus cognitâ, jura sponsalium exigit, rescissa jam jura afferentem carceri mancipat anno, & dimidiô, unde liberatus metam adiit, an stadium religionis, in quo ad facilius decurrentum triginta annos inediâ, & ciliciô itâ maceravit carnem, ut Vacii fores templi obseratas miraculô penetraverit, ac inde Jaurinum reductus abiit animô ad superos, corpore reliktô in terris prodigiis gloriósô. Eandem, & Banfiorum illustrissimam familiam illustravit Buzadus Banfius, vir in patria potentissimus, deinde reliktô filiis principatu ipse vitam humili objecit jugo religiosæ domùs, & unâ Tartaris, ad lauream martyrii extorquendam, à quibus ante aram lanceis confoslus evolavit.

XII. Dum religio palmæ in morem latiùs in Hungaria frondes explicaret, undique in eam confluxere Viri sanctissimi, partim desideriô purpureæ mortis, partim propagandæ celeriæ Christianæ religionis, aut certè odore tracti diffusô, quô Stephanus Orbem reliquum inundaverat. Nec fuerat ad Hungariæ amplitudinem, si singuli in eam properarent, ideo integrô agmine ferebantur. Primam ex his fixit stationem ordo sanctissimi Patriarchæ Benedicti, cuius institutum dum Occidenti cum vita

monastica pietatem latius intulit, spem fecit Stephano, ut subsidiariâ hâc manu celerrimè sua compleret desideria; ergo primùm in Pannoniae monte, qui ad sitas Danubio urbes aspicit, locupletissimam è Cupæ spoliis Abbatiam condit, inde plures tum ipse, tum subsecuti Reges, eâ amplitudine, ut numerus cœnobiorum ad sexagenarium ascenderit; piarum largitionum eò ascendit, ut superi soli numerarent. Tantæ stirpis surculus haud degener candidus Cisterciensium ordo comitatus est Benedictinum, ductis quadraginta coloniis, ut æmulatio meliorum charisnatum accenderet ad Divinorum laudum, & sanctitatis incrementa. Tertiô locô Bruno suos misit, cum ipse impeditus ægritudine non posset, ut ex eremi solitudine lucem evangelii diffunderent. Crucigerorum ordo vicenos celebravit conventus; candidissimus Præmonstratensium disgregavit se se in tricenas prælaturas. Frequentissimi in Hungaria fuerunt ordines Marianus alter S. Dominici, alter Seraphicus S. Francisci: ille geminas habuit provincias, geminaque concilia generalia, ad Arrabonis confluentem primas sedes, & in pluribus locis, ubi æternas die, nocteque laudes decantabant; posterior quatuor provincias; primam in regni medio sedem fixerunt, ambo viros præstantissimos sanctimoniam, & sapientiam, ambo ab ipsis Patriarchis huc transplantati. Eremitarum verò Sancti Pauli ordo Hungariâ totâ notissimus virtute, & eruditione, in eadem cepit originem à B. Eusebio Strigoniensi Canonicō,

nico, qui desertâ urbanâ vitâ in solitudinem abivit, & triginta circiter, & octo annis suis permisit regulam, subinde anno 1367. ac 1368. iterum confirmatus. E reliquis, quos fama minor, aut copia reliquit posteris, adhuc remanent Eremitæ S. Augustini; quorum omnium sanctitatis fama, assidua pietas, eloquentia sacra quantum Hungariæ profuerint, testatur patriæ felicitas illa diurna

XIII. Jam quia infra desideria tot virorum fuit patriæ consuluisse, ad exterios abivere, ubi Christi dogmata prædicarent gentibus, & quando sudor non sufficiebat, sanguine irrigarunt. Atque hoc loco memorabilis venit, & soli nativi prærogativâ, & antiquitate, & peregrinatione longissimâ Matthæus Escandeli; is Budensium civis primùm sacras Palæstinæ regiones invisit, ibi animarum lucrandarum amoribus accensus ad prædicandum evangelium vires, mentemq; appulit; relictis ergo patriis penatibus, & Sacracenorum illuvie, ad extremæ incolas Asiae Sinas penetravit, ibi sanctitatis luce, prædicationis ardore, miraculorum efficaciâ plurimos etiam Bonzios ad Romanam fidem adduxit; id peculiare habuit, quod in omni dictione, & populi institutione memor Virginis ostenderit affatim, quâ patriâ effet oriundus, donec odio, & Bonziorum insidiis circumventus pulcherrimos conatus purpurâ martyrii, & aureolâ coronaverit. Alter erat Bonifacius, qui auditô apud Prussos Adalberti martyriô totus in eandem avidissimè prorupit arenam, non sinè bra-

vio, nam avernus prædicationis fructibus in eum cominotus, gentiles concitavit, qui primò affectum ludibriis, subinde gladiō percussum cœlo transmisere. Paulus ex ordine Divi Dominici disertissimus è sacro pulpito orator ad Cumanos abiit, quorum duos duces cum aliis mille baptismi undis abluit, educavit annis viginti in Christiana pietate, donec furore ethnicorum, & hastis confossus occubuit. Et horum satis est meminisse.

XIV. Ingentia ea facta præsulum, & ordinis Ecclesiastici, magna traxere privilegia; nam præter Primatum, quæ dignitas prima est in ecclesia, primus Archi-Episcopus Strigoniensis assidet tabulæ Baronum Regni, tanquam Legatus natus Apostolicæ Sedis, Regni summus Cancellarius, & Secretarius, ibidemque dextram obtinet; sigillum Regium custodit, in crimina libus locumtenentem habet, propter lenitatem ordinis sacerdotalis sanguine non aspergendam, à Rege sibi suffectum, ac jurejurandō obstrictum. Ipse Regem coronat eā lege, ut nisi singularis obstat ratio, inaugratio legitima non habeatur. Suos ipse creat nobiles prædialium cognomentō notatos, à teloniis pro jure immunes. Vacante Palatini dignitate, sigillum Regis aperit, candidatos pro eo officio proponentis. Primus dat votum, & fert judicium in ecclesiasticis, ad quem etiam appellations fiunt à diœcesanis. Jam verò tanti Præsulis, & aliorum singularia sunt privilegia, Ecclesiæ nimis suæ administrandi eā excellentiā,

ut

Defunct A.P.

cem, vadem obæratorum, communem omnium portum, refugium, patronam, neque immerito, cùm suas illi porrexerit Crucifixus DEUS benedictiones. Nec minor matre filia Gertrudis, prætor alia maternæ pietatis exercitia, triginta annos omni carnium esu abstinuit, velô Elisabethæ sanctæ pro pietatis vexillo usa, tunc jucundissima, cùm illud fronti circumdaret. Gu- negundem his addere placet ante finem, quæ initiô vitæ vix nata salutavit Dominam cœli & Hungariæ : *Ave Reginæ Cælorum, Mater Regis Angelorum.* Lactens jejunare noverat, dum überibus admota quartâ, & sextâ feriâ unâ sa- tura coenâ, nihil amplius degustabat; Boleslao adamata Polono attulit sponso agnomen pu- dici, cum quo quadraginta ipso annos imma- culatum thorum coluit, quod eius esto laudum compendium.

XXI. Pro coronide coronatarum apponere fas
est Sibyllæ Hungariæ Reginæ sanctæ curiosita-
tis exemplum, & fortunam. Refert Novari-
nus Lectionum sacrarum n. 1260. Sibylla hæc
non vanô veterum acta entheô, sed devotio-
nis ignibus, postquam Palæstinæ vestigâsse oras,
in locum incidit veterum Patriarcharum, è quo-
rum aliquid ossibus in pietatis augmentum vel-
let auferre; de venia proinde Soldani Babylo-
niæ latomos convocat Saracenos æquè, & Chri-
stianos, in valle Josaphat foderent, imperat;
nec inani impendiô, nam tumulum inveniunt
è lateribus compositum: aperto sepulchrô ca-
daver aspiciunt miræ magnitudinis, & mirabi-

lioris compositionis. Erat illud integrum cum prolixa barba, & capillis maximis. in pellibus ovinis, & integris sepultum, & super caput tabulam, in qua literis concavati ad modum sigilli Hebraicè inscriptum fuit: Ego Seth ter-
tiogenitus filius Adæ credo in JESUM Christum Filium DEI, & in Mariam Matrem ejus de lum-
bis meis venturos. Totidem verbis Novarinus.
Nimirum designabatur Mariani Regni Principi
Mariani nominis revelatio.

C A P U T . VIII.

Fines, accessio, & imminutio Regni Hungariae.

I. **H**ungaria ab ingenti corpore Imperii cā-
dem fortunā, quā Hispania, Gallia ab-
scissa, diu commeantium nationum velut tor-
rentibus inundata, à Pannonicarum nomine de-
scivit, atque in unum compacta corpus regnum
fecit, magnitudine quidem terrarum nec maxi-
mis æquandum, gloriæ, ac fortitudinis nec ma-
gnis illis inferius; cœlō temperatō, optimisq;
subiectum astris, atque ut Sigismundi Cæsaris
uti libeat encomiō, quod sic ipse ad Joannem
XXIII. describit: Peculiare Regnum nostrum,
gloriosa videlicet Hungaria, locorum amoëni-
tate conspicua, situum habitudine speciosa, exu-
beranti rerum affluentia copiosè pollens, dele-
tabilem indigenis, & advenis exhibet incola-
tum, nulli in Orbe terrarum jucunditate, exul-
tatione, divitiarum magnitudine secundum, ad
sua.

suavitatem, delectabilitatem, & felicitatem comparatum. Ambitu suo in longitudinem sexaginta quinque, in latitudinem penè totidem milliaria complectitur, quadratâ formâ, ita ut latus aquilonare perpetuô tractu montium, Polonos, Russos, Silesios arceat, meridionale Croatiam, & Sclavoniam Dravi, Savique ripis terminet; ab occidente Austriâ, Moraviâ, Styria claudatur, illabente ab Austria Danubiô, ac propè medianam secante; ab Oriente Transsylvania, Valachiâ protegatur. In ulteriorem, & citeriorem dividitur, si Danubiô metiaris, ita ut citeriorem voces, quæ ad meridianam incolit partem Danubii, ulteriorem, quæ septentribus vicinior accedit; unde etiam Ultradianubiana ista, illa Cisdanubiana appellata. Utraqâ Provincias minores continet 50.

II. Ubertatem soli Hungarici nemo est, quæ non laudet, ut non immerito post illatas, acceptasque clades, post peragratam, armisque tentatam ulteriorem Europam Hunni in Hungaria confederint, eorum fortunam Numine disponente, ut dum Italicum, & Gallicum solum quærerent, vincendo non retinerent, ne, quod optimum quodammodo esset, desererent. Barclajus brevibus eam describit; sed ponderosis: *Omniproventu felix solum, uberrimas alit seges, pascuorum ingentium fidem exteris gentibus facit, venalibus per Orbem armentis, paulò minus centum millibus bouno in singulos annos Germania transmittit, & ad vicinas huic terras. Vinum generosissimum est, nec multum illi dispar,*

quod in Hispania gignitur. Cælum ad valetudinem commodum, nisi quod autumni intemperies morbos creet, maximè hospitibus sacerdos. Varii generis, pretiique metalla in visceribus tellus habet, aurumque interdum cum arena fluvii volvunt, feracissimi piscium, quos ibi nimia copia viles facit. Paulò distinctius Petrus Bizarrus eadem prosequitur: Nulli regioni terrarum cedit, hominum robore, pecorum fæcunditate, ubertate soli, ac metallorum copiâ. Cæli præterea benignitate, ac pulchritudine sitûs omnibus regionibus suô jure potest anteferri. Tellus rerum ornatum copiâ à natura donata, ubi argentum, salam, lapillos, colores, effodere liceat. Frumenti, pabuli, leguminis, & pomorum abundantiam præstat. Neque deest copia piscium, & cupri conœclura; in plerisque suminibus ramenta optima reperiuntur, quin & in vitibus aurum quandoq; legunt.

III. Amurathes apud Gallimachum ad subiugendam Hungariam suos ita hortatur: Hacenus cum natura lucreti sumus, in confractis, præruptisque Bulgariae, & Rascie montibus. Fames, sis, labor, desperatio vincenda fuit. Vici mus non aliâ mercede, quam ut beatæ Hungarie opulentiam aliquando attingeremus. Hinc jam militia nostra præmia, hinc gloria innititur. Ad portas perdentum est, quibus patefactis per loca naturâ ipsâ, & humandâ cultu amoenissima ingrediemur. Hominum, jumentorumque alimenta passiva non ad necessitatem, sed ad luxuriam cum ubertate soli temperies cæli, aquarumque abun-

abundantia suppeditat. Quidquid alibi operosa cura vix educat, illic sponete fert suâ terra benignitas. Eadem Wernherus, eadem P. Fournier, imò quotquot de Hungariæ situ, scripserunt autem plurimi occasione bellorum præteriorum secuti belliduces Cæsareos. Hoc unum esse nonnullis votum, ut homines darentur, qui tantâ felicitate fruerentur; imò verò hominibus opus esse, qui rebus tantis cum moderatione vescerentur, aut quibus ità pax colenda daretur, ut suavissimô gustu pacis frui possint. At ut decantatam gentibus omnibus felicitatem in epitomen datum videas, en ordinem elementorum.

IV. Terra parens rerum frugibus exuberat, nam sæpè frumentum vilius in melius convertit, & eâ copiâ, ut incolæ nunquam in annos solliciti, novis frugibus vescantur, suum à singulis annis pensum accipere contenti, nisi mala tempora futurorum providentiam docuissent; tritici sapor qui optimus; pascua deinde omne jumenti genus dant ingenti numero, ut vicinis circum provinciis suppeditet, quidquid œconomicam curam exercet; idque seu partes, quæ latissimis effusæ campis, sive, quæ in colles asurgunt, consideres. Vini nobilissimi copiam omnis plaga profert, cuius excellentia, & generositas in Tokaino, & totâ plagâ submontanâ, quæ unâ parte Carpathios, alterâ Russicos montes terminat, in agro Syrmensi, tractu Quinque-Ecclesiensi, Soproniensi, Posoniensi, Agriensi, Budensi, Varadinensi progerminat, ut vix inter plura delectum facere possis, dum alte-

rum ad alterius invidiam quandam generositate assurgit, fidemque rarius invenias, an non ex optimo sit propinatum promontorio. Hæc in superficie, non pauciora è visceribus suis effundit bona tellus, nam aurum totâ Europâ nobilissimum, nec inferius illô, quod Tagus aurifer, aut Gangeticæ volvunt arenæ, Mexicique vident regna, & hujus indicia facit cinnabaris, colorum, qui rubri sunt, elegantissimus, quod locis quidem pro auriferorum copia montium paucis eruitur, in omnes deinde regiones æquō pondere distrahitur; argentum deinde, cuprumq; præstans, unum ferrum Styriaco mollius, ut gloriari malit solum hoc excellere in optimis, quam in singulis, quemadmodum genius hominum in artibus optimis, virtutum, scientiarum & armorum, quam ad inferiora his studiis emavult demittere. Pomorum omne genus, sapore, odore, colore, mole ipsâ nobilium fœcundissimum, sicuum insuper, & citrinorum cā parte, quam in Syrmium declinat ferax.

V. Aér, & aqua elementum utrumque humanis usibus, aut necessarium, aut perjundum eos incolis porrigit favores, quibus pares alibi fortè, majores nullibi exigas; nam si navigatione animum distrahere libet, habet lacus majores geminos, habet dominatorem aquarium Danubium, habet amnes Tibiscum, Savum, Dravum, Arrabonem, Vagum, Granum, Hernandum, Ipolim, Sajonem, Bodrogum, Samusium, Marusium, & quæ minora sunt, in quibus auri volvuntur arenæ, volvuntur pisces, Tibico

sco quidem tantâ copiâ, ut ferè tertiam flumi-
 nis partem facere videantur; imò ubi jam pro-
 ximè in Danubium se exonerat, penè infinito
 vehit pisces, cuius illud est unum argumentum,
 quòd accolæ exundantem sepibus præftruant,
 quas pisces reducente se ad terminos Tibiscō,
 agmine factō subvertunt; alterum, quòd in
 lacubus relicti computrescant, & latè piscium
 putorem diffundant, postquam porcorum exa-
 men suo abdomini satis litaverat. Licitantibus
 adeò levis est merces, ut parum interfit, ven-
 dant, donentve, & cùm vendere nequierunt,
 clanculum se subducant, relictis foro piscibus,
 quod ne faciant, mulctâ coërcentur. Et quan-
 quam Husones vasta Danubii, Savi, Tibisci do-
 minentur arenâ; montana tamen Scepusiensium,
 Liptoviensium, Turocenzium regio trutas ma-
 jores, minorésque, fundulos, & alios saxatiles
 pisces in deliciis, & copia habet. Habet & il-
 lud, quòd saluberrimam potui ministret aquam,
 quam plana regio desiderat; quas tamen potui
 non habet oportunas, habet sanandis corpo-
 tibus quām exquitissimas, thermas enim Buden-
 ses, Trenchinienses, Püstenenses, Bajmocsen-
 ses, Stubnenses, & ut celebres minus omittamus
 omni comitatu fermè suis provisas; denique
 minerales, quæ cuprum vehant, & brevi tem-
 pore in ferrum convertere videntur. Neque
 his immorandum specialibus jam antea typis
 mandatis. De aëre addendum illud, quòd in
 montana quidem regione ubique saluberrimus,
 in planiore æstate summâ calidior, & nimium
 levis,

levis, ibidem tamen hyeme frigidissimus, unde non facile plures alibi, quam vastis Jazygum campis, & gregatim populantur lupi. Alit aër hic avium genus omne, copiâ non minore, quam terra pecus, pisces aqua; rapacium hic aquarum ingenti magnitudine, ac primâ domicilium; Attagenes, perdices, urogallos, phasianos, turdos, merulas, & quidquid sapore mensis honorem, cantu auribus parit jucunditatem. Nec minus feris, atque altilibus abundat, nam ursos Russorum, & Carpathi montes, cervos Matrenses, sylvæ Baconia, & Vertesia; apros, damas, cervosque, lepores, vulpésque omnis ager; quanquam non desint plurimi, qui persequantur.

VI. Neque tamen suâ sibi visa est felicitate posse beari Hungaria, nisi alienâ in suas delicias terrâ, & populô pasceretur; non cō quidem consiliô, ut aliena peteret necessitate, aut avaritia, nam liberali semper fuit ingenio, sed ut pluribus curas suas, & beneficia dispertiretur; atque imprimis Transylvaniam sui juris facit; quanquam enim cognatis armis una Hungaroru[m] natio, & Daciam, & Pannoniam occupaverit; fidei tamen lux, quæ priùs illuxit Stephanò, quam ejus avunculo Gyulæ divisit Hungaros Pannonios à Transylvanis, dum hi Duce cum suo pertinaciùs tenebras adamassent, & novi cō idolatriæ tempore Andabatæ contra lumen veritatis, & lucis incolas arma sumpsissent. At ubi videns Stephanus, hærentem in tenebris vicit Julium, quid verò fuit prodigii cœcum à vidente vinci? imò verò fuit prodigi-
um

& ad vim persequentium roborandam; unde ab orientalibus Patribus appellatum persæpe fuit ad occidentalia, & Romana concilia, ubi nec satelles, neque Comes armatus Episcoporum ora, atque sententias vi, aut minis infringeret, sed omnia procederent ecclesiastica libertate. Nomina Comitum, uti & provinciarum à Principe illius castro promanarunt, quorum in aliquibus vix rudera supersunt. Horum omnium ingentia sunt privilegia, magnæ opes, & ideo clientelis florebant. Ad comitia Regni singularibus à Rege literis invitantur, in politicis judiciis præsidebant, in bello Duces cæterorum, ubique digniores, & Regi propinquiores. Meritoque horum coronâ se cingi Rex petebat, à quibus heroicâ dexterâ, oppositu corporis, consilii promptitudine sublevaretur. E quorum numero potentia, virtutis, & sapientiae laude florentissimi fuere, & familiis suis sæculorum memoriam pepererunt; quorum catalogum facillime texeret is, qui Baronum Regni, Ducum militiæ catalogos describeret, cum nulla virtus apud Hungaros impræmiata permansit, præmia verò luculentissima fuerunt publicæ dignitates.

VIII. In politico statu præminentibus illos nobilitas media sequitur, uno quondam titulo nobilium gavisa, & quid amplius dici poterat, quam compendiō laudum uti, id est nobilem appellari, qui titulus ipsis nuper æstimandus Regibus, nunc adeò vulgaris est, aut vili penditur, ut nisi aliō prænomine muniveris, in to-

tam retro prosapiam crimen admisisti. Faten-
 dum est, si præsentem genium sequimur; si mo-
 numenta veterum repetimus, non item; omnia
 verò artium studia fuisse aīs perpolita, ut in-
 ventis, ac novis artibus nomina desint, imò
 fortè veterum nomina non meminimus artium;
 verū sit ea nostræ felicitas ætatis, at fortunâ
 ipsâ grandior est ambitio. Inlyti olim, illustrésq;
 Reges dum dicebantur, ad serena sidera extolli
 se credebant, nunc etiam minoribus tenuia sunt
 hæc nomina stellis, utinam ad lucem rei ampla
 illa nostra conferant tantum, atque verborum!
 credibile est merita nepotum ultra proavos ex-
 crevisse; neque tamen reprehendendum vide-
 tur avita stemmata conquirere, postquam ab
 ipsa nascendi felicitate virtus capit radices ad
 frēcunditatem; capit & succum; si enim à cœli
 sideribus, quæ lucidiora, quæque faventiora
 sunt, meliora surgunt germina, cur non à terræ
 sideribus, quæ nativam indolem potissimum in-
 fluant; facilius nimirum est leonem ad imperium
 belluarum erigere, facilius aquilas volatu ad su-
 peros promovere; est sua ætatum indoles, est
 & nativæ indolis; unum id natura superaddi-
 dit mortalibus, ut cùm promptitudine ingenii,
 felicitate consiliorum alii præstent aliis, liber-
 tate genii etiam prævolent, quâ qui excellunt,
 reliquis dominantur. Quæ cùm aliqui fato con-
 tigisse sibi propria vindicent, fructum non ca-
 piunt, nisi virtutem in actione constituant, quæ
 sive marte, seu in senatu, aut civitate verse-
 tur, ætatem non fert, nisi magisteriō erudita.

IX. Ad hujus magisterii emolumenitum Res-
 publica non alio facilius, quam munerum pu-
 blicorum compendiō enititur, ut enim suā,
 si jaceat, rubigine eroditur chalybs, suo situ
 purpura corrumpitur, ita usu ferrum splende-
 scit. Nisi enim Heroum filii noxæ velint esse,
 nisi inania credamus Reipublicæ studia, his au-
 xiliis, & glorioſis ignibus ad lucem accendun-
 tur. Quis enim non ardeat animis, aut in sub-
 limia non evolet, dum dignatum sibi, ac ob-
 sequiorum impendiis ad ipsam Principis familia-
 ritatem patere videt aditum, & ne raptui pe-
 riculum subsit, ad summa firmis vestigiis quasi
 eluctatur, dum ita medias dignitates occupat,
 ut in singulis ponat merita ad superiores. Has
 in dubio gradu, ut faciles obtineri ab infimo,
 ita non difficiles tolli ad summa, dignitates
 Hungaria numerat eorum, qui vicariâ pote-
 state Archi-Episcopum Primate referunt, quem-
 admodum Director causarum regalium Palati-
 num; Judicem curiæ, Personalem Magistri Pro-
 to-Notarii, Consiliarii, Secretarii cameræ, aut
 Baronum Regni, Assessores Tabulæ Regiæ, Au-
 rati Equites nomine dignitatis potius, & præ-
 mii cum laude conjuncti, quam singularis uti-
 litatis. Denique Nobiles supremorum Comi-
 tum Vicarii, Notarii, Perceptores, Judices No-
 bilium, & Jurati, honore suo quemadmodum
 non summi, ita subjectis provinciis aspectabi-
 les. Quarum lux dignatum dum animis etiam
 posteriorum non privilegiis, sed opibus nobi-
 lium illabitur, igniculos excitat quasi cinere se-
 pul-

pultos, ut à sedibus humilioribus ad altiora se
sublevent, & virtutis unà, ac honoris alis se
Reipublicæ senatui admoveant. Certè apud
omnes retro nationes bellò, aut pace eluctati
ad prima subsellia venerationem sui imperâ-
runt, & quandam de Numinum erga se benigni-
tate existimationem, ut hos amare Pallas, illos
Mars in deliciis habere diceretur, & hæc nobis-
lissima tandem fuit laudis copia, quâ ob regi-
men aliquod Reipublicæ propriùs à vulgo acce-
debant ad Numina, quæ mundum regunt.

X. Quia verò nobilitas hæc Divis ipsis facit
pergratos, ad eandem variis ascendere licet
viis, prout enim fabularum fœta antiquitas fin-
xit varia numina Divorum, ità occasionem de-
dit industriis: sive enim stipendia quis meruerit
sub Marte, hujus patrocinio decurrit ad metam;
si Palladis affectibus animum adjecit, vigilémq;
illius noctuam pro Numinis gustu educavit, ad
adyta sapientiæ; si Mercurii bonas artes, &
eloquentiæ campos talaribus decurrit alis, pro
rostris egit Præsidem; nec sua Plutonis alumnis
munera, aut Pana colentibus defuerunt, ut fru-
gum, aut æris copiâ inter splendidiores con-
siderent. Jam quia nobilitas quandam humanæ
beatitudinis speciem habet, habet & singularem
hanc prærogativam, ut sit perpetua, ut nullâ
aut hostium nequitiâ, aut malignitate tempo-
rum adduci possit in discriminem. Quidquid enim
aut turpis egestas injuriarum afferat, aut popu-
lationum turbo evertat, aut carcerum tene-
brose angustiæ sitûs allinant, mens virtute no-
bili-

bilitata; & jure Hūngaricō id omne superat, ut iisdem planè privilegiis utatur cum pullis gratiarum, aut Deæ fortunæ, quos plenum copiæ cornu inundavit. Una male agendi protervia, aut segnities maculam, aut ruinam afferre potest nobilibus viris, quorum aut casus, aut nomina, aut crima odiosiora sunt, quam ut hic adducantur; ut ruborem nepotibus non excutiant, ad quos cum sanguine non tam ipsa malignitas transit, quam ingentia damna. At calamitates illæ, quæ virtuti, & nobilibus animis infidias ponunt, quemadmodum carceres, egestas, & infelicitas adeò non obsunt, ut etiam vehiculum præbeant ad apicem splendoris.

XI. Quid enim Matthiæ Corvino ab exule Claudiopoli parente, ut in natali domo carmen explicat, nasci obfuit? quid Viennensis, aut Pragensis captivitas umbrarum attulit? lucis imò plurimum; quid acerbus fratri Ladislai casus? nisi perpetuum hujus apud suos desiderium, illi etiam regnum, ad quod illustrandum per carceris rimas indolis Regiæ radii emicabant. Neque Michaëli avunculo carcer obfuit, nisi ut eliminatô veteri, & conscitô odiô, antiquissima gratia responderet. Quid mortes majorum pro patria, nisi gloriofa erexit trophæa posteris, ut gloriarentur Mala, quæ virtutem, & nobiles animos premunt, ad apicem evadere compellunt.

XII. Præter eam nobilium multitudinem, quæ quinquaginta proviaciis diffusa totidem velut parva nobilium regna constituit, sunt etiam

etiam civitates liberæ, intra quarum pomæria
 cùm plura sunt magnatum palatia, ædésque
 nobilium, habent jus commune nobilium, ut
 quâ ratione unam conficiunt Rempublicam,
 controversias civiles, si quæ cum nobilibus in-
 tercesserint eôdem forô, ac libertate, eôdem
 judice utantur: jam verò intra suos limites,
 suos habent, aut judices, aut consules, priva-
 tis utuntur juribus, pro publico commodo op-
 portuna statuunt, neque in propriis urbis juri-
 bus Vice-Comitibus quidquam deferunt præter
 convenientem venerationem, sed summô aut
 judice, aut protestore **Magistrô Tavernicorum**
 gaudent; Regiarum insuper nomine decorantur,
 quia peculium sunt Regis. Quarum nominibus,
 cùm quadraginta sint, & descriptionibus plenæ
 sint chartæ domi, forisque prælo subjectæ,
 hic ea visum est non recensere. Verùm apponere
 placet, quod corporis nobilissimi Hungariæ sint
 membra, & in comitiis regni post **Magnatum**
 senatum, qui est velut quoddam patriciorum
 genus, post provinciales nobiles, qui equestrem
 ordinem referre videntur, ipsæ populum Hun-
 garicum repræsentent nobilissimæ compotem
 libertatis, & ordinibus distinctum, ut quemad-
 modum priores illæ partes gradus suos, & Ma-
 gistratus inclytos, ita & hæ habeant amplissi-
 mos, & loca subselliorum jure, aut consuetu-
 dine vetustâ designatorum.

C A P U T IV.

Ingenium Hungarorum, & libertatis amor.

I. Prima, si memini, bonis magistris cura est, ut posteaquam totam animo impresserunt fabricæ imaginem, materiam congerant, è qua in sublimè structuram promoveant, vestigéntque primùm, si præsignatae in idea moli satis illa vi-
rium habeat, & aptitudinis: eâ quidem me-
thodô præfixâ, priores tenuisset partes genium
Hungarorum ad struendam regni molem exqui-
rere, quibus is agatur affectibus, quibus tardes-
tur momentis, ne designato serviat operi; at
quoniam animus non fuit dare principiū operi, at-
ductam in alta fabricam describere; præsens pa-
gina serviet, utrum imperio Hungarico parem
ipsa gens indolem attulerit. Et certè si ductum
sequi libeat Numinis, nemo ineptam dixerit con-
tra Numinis providentiam; nunc si humanis eti-
am rationibus parem fuisse confirmandum est,
utendum erit argumentô potius sæculorum, &
scriptorum testimonio, quam sensu peculiari. Ac
in ipso hoc arguento domesticis partim, partim
exterorum documentis opus erit fidem facere.

„ II. Inchofferus annalium ecclesiasticorum
„ scriptor in paucis eximiis sequentia memorat:
„ Hungaros *indolens* suscepisse ad omnia sanctif-
„ fima idoneam; ingenium scientiis aptum, &
„ quæ quodammodo sponte ipsum sequuntur,
„ si lubeat attendere. Quin à principio quid-
„ quid in Scythia boni habuerunt, videntur ipsi
„ se-

„ secum exportâsse, & alieno cœlo felicius im-
 „ plantâsse, ut temperatæ naturæ signa præ se
 „ ferrent magnanimi, viâtu inundâ, consue-
 „ tudine honestâ utentes, rerum divinarum
 „ amantes, moribus ad libertatem, & justitiam
 „ compositi, osores improbitatis, turpi veneri
 „ non indulgentes. Subinde confirmat: Hun-
 „ garos non adeò barbaros fuisse, ut legum in-
 „ solentes essent, qui historias legerit, ex tra-
 „ stabili ingenio facile deprehendet, nunquam
 „ ut omnino DEI expertes essent; verum ad
 „ ejus cognitionem religionem suam dirigerent,
 „ nunquam penitus è pectoribus exuri sinerent.
 „ Idque satis innuit superbus ille, sed non sine
 „ peculiari instinctu fastus Attilæ, quô le flagel-
 „ lum DEI cognominatum vellet, nisi ex co-
 „ gnitione veri DEI proficisci non potuit, quem
 „ is scelerum vindicem & æquum humanarum
 „ rerum arbitrum non ignoravit, eðque se quâ
 „ quâ tandem autoritate, an prætensione vi-
 „ cem DEI ulciscendo occupâsse præ se ferebat.
 „ Quod si tandem erat omnis initium probitatis,
 „ quis ambigat ingenium illos hausisse ad stru-
 „ turam reliquam capacissimum, ut in illis no-
 „ bilem invenerit sedem, pietas in suos & pa-
 „ triam, amicitiæ jucundum genus, justitiæ, for-
 „ titudinis, temperantiæ decora universim o-
 „ mnia, sed antequam ista persequi tempus ad-
 „ mittat, en alterum testimonium!

III. Joannes Turoczius itâ persequitur indicia
 „ bonæ illorum indolis: Susceptâ migratione
 „ è Scythia constituere rectorem gentis, virum
 „ sapi-

„ sapientem, & idoneum, qui lites dissidenti-
 „ um sopiret, furta, ac latrocinia castigaret.
 „ Ut mittam edictum illud martiale, quoties bel-
 „ lum decernendum, aut castra movenda erant,
 „ toties circumductō mucrone solitos moneri
 „ universos, ut voci DEI, & præcepto com-
 „ munitatis obedientes, destinatum in locum
 „ armati convenirent consilia simul, & jussa
 „ capturi. Quæ consuetudo usque ad tempora
 „ Geysæ Ducis, qui S. Stephanum edidit, in-
 „ violata fuit. Hæc utique indicia non incerta
 fuerunt Divinæ cognitionis, & vestigia quædam,
 per quæ posteris DEO mirabiliter deducente,
 iter planum esset ad regnum veræ fidei, &
 sanctitatem capeſſendam, ut qui olim Attilæ
 sœvientis, & Ecclesiæ Romanæ vastitatem spi-
 rantis mentem inflexit, idem posteriorum ani-
 mos attemperaret, ac tandem Reges, & po-
 pulos sibi formaret veræ fidei cultores sanctos,
 sanctæ Romanæ Ecclesiæ non minùs fortissimos
 propugnatores. Ut jam fidei veritas addiderit
 quendam vegetativum calorem, quô felicitas
 Hungarorum excreverat reliquis admiranda.
 Nec minore encomiō describit Hungaros Bon-
 finius ipse, an apud Bonfinium Varadinensis Præ-
 ful, dum educendum in Hungariam Uladislaum
 Bohemum his invitat:

„ IV. Regnum habes nativō aurō, argentōq;
 „ refertum, mirâ frumenti, metalli, pecoris, ac
 „ rerum omnium ubertate positum: militum
 „ robore, bellicæ rei experientiâ validissimum.
 „ Accedit religiosum, continens, & ditissimum

„ tam humile, quām nobile genus hominum,
 „ graviſſimorum multitudo Pontificum, & Sa-
 „ cerdotes domi, forisque præpollentes; tanta
 „ item Procerum ditissimorum, & nobilitatis
 „ copia ornatissima, perpetuò obdurata bellō,
 „ ut priscam hīc Romanæ Republicæ amplitu-
 „ dinem cognoscere liceat. Plures hīc Duces,
 „ plures Curios, Scipiones, quām in bello
 „ Trojano Principes, & Romæ Imperatores in-
 „ veneris. Proinde jam regnum habes, imò
 „ regna plura, imò materiam perpetuæ laudis,
 „ & gloriæ, occasiones clarissimatum virtutum,
 „ sive pace, sive bellō, privatim, aut publicè
 „ tuum nomen in extremos orbis fines propa-
 „ gare placitum faerit, aut reconditarum in
 „ sacro pectore virtutum regalium ordines ex-
 „ plicare. Nihil est, quod desit, sanctumque
 „ propositum remoretur, & præclarissima hæc
 „ imprimis de universa Christiana Republica be-
 „ ne merendi offertur occasio. Atque his ad-
 jicit pro consilio, monētque nōſſe debere, bel-
 licosæ illum gentis, asperæque habenas capere,
 quæ non indulgentiâ, sed severitate deberet
 in officio contineri.

V. Addit & Bonfinios, ubi Bohemorum in-
 dolem unâ, alterâ parte Hungarorum componit: severiores esse Hungaros, bellō durissimos,
 austerae consuetudinis; exteris his parum amari,
 plerumque abominari; elatum illis ingenium,
 immodicum equorum, vestiūmque luxum, ar-
 morum studium, ac mensæ potissimum; cæte-
 rum minima cura, sollicitudōque, pericula con-
 temnunt,

temnunt, bella ferunt, otium formidant, laudemque appetunt, quam armis parare nituntur. Quæ adeò illustria, adeò excellentia sunt pleraque, ut pro meliori genio nulli nationi litem dixerint Hungari, adeòque essent gustu delicata, ut immorari esset jucundissimum, atque exemplis omnia confirmare. Sed ne quorundam graviter Hungaros ferentium scripta planè excludantur, Volaterranum Inchofferi verbis citatum adjicere placet:

„ VI. Ex quibus hallucinatur Volaterranus,
 „ qui suas Volaterras sub sagittatio collocat,
 „ adeòque ingenia solida ibi, ac versatilia gigni,
 „ & libenter audiebat, & declamabat; Hunga-
 „ ros, quorum patria multis civitatibus eidem
 „ signo subest, omnium artium indociles, quām
 „ militaris esse bacchatur. Qui contrarium af-
 „ firmare Inchofferus pergit ibidem, Hungaros
 „ nempe ad summa omnia natos, sive indul-
 „ gentiâ cœli, sive industriâ, & indole animi
 „ nemo nisi experiens inficiabitur, aut talis, cui
 „ cùm sua, se èque circumspicit, ampla omnia,
 „ excelsa sunt; aliena, quæ aut singulari fasu-
 „ contemnit, aut imbelli memoria non com-
 „ plectitur, pro pedibus habet; cùm tamen ex
 „ Hungaris plurimi omnis ordinis Viri sanctif-
 „ simi prodiverint, & rerum gestarum gloriâ
 „ orbi universo illuxerint.

VII. Aliud sanè est, longòque discrimine di-
 versum non esse ingenia, aliud non fuisse co-
 gnita; diversum planè non excoli certis arti-
 bus, iis non tingi; aliud ad eas nec affici, nec

aptos esse: illud ætas, & ipsa rerum vicissitudo imperat, ut sæpè quod summè necessarium est, vix assequaris, istud de ingenii temperatō, & optimō cœlō natis nemo, nisi ipse dixerit ineptissimus. Neque illud diffiteri semper licet, vilissimas quasque artes, aut exteris gentibus oportunas non exerceri, cùm neque necessitas illas imperet, neque gloria elevet. Atque si etiam percommode sint, atque non ignobiles, quot quæso nationes, quantis temporibus eas non cognoverunt, an ideo ætatibus illis præter bellicosorum semina ignium nihil habuerunt?

VIII. Gravius etiam hallucinatur Lucas Lindanus, quemadmodum Christiana religione, ita à moribus Hungarorum peregrinus. In duas primū illos dividit gentes, Panones, & Hungaros, illos *iracundos, finè lege, finè Principe ad Tyberii usque tempora dictiisse*, cùm tamen Romani ad eos domandos progressi, & Reges eorum invenerint, qui strenuissimè restiterunt; & Macedo, certè ante Tyberii tempora, & Legatos eorum accepit, & in fidem suscepit, maluitque habere socios, quam hostes. Hungaros veteres habet, & recentiores. Piores in universum *crudeles, quasi omne, quod Septentrionem, aut Martem colit, nihil habeat præter crudelitatem, quâ quidem in re, cùm omnium gentium existent exempla humanitatis, fatendum tamen est ante mansuetudinem Christianam etiam humanissimos plurimum feritatis sapuisse, ut Romanorum arenæ, caveæ, amphitheatra,*

gladiatores, bestiarii, satis confitentur, feréque amplius, quām Scythæ illi crudelissimi, à quorum Anacharsi fortitudinem, & sapientiam Græci didicere, Ferro candenti pueris mentum adusisse contra barbae incrementum, cùm tamen ob promissam barbam ex vetustissima retentam consuetudine non barbatis gentibus paululum ingratiores fuissent. Nullos duces habuisse, credendum tales, quos Lindanus noverit, at alios, quos nominatim referunt historiæ, nemo nisi cum Lindano ignarus negaverit. Nec religionis, nec superstitionis ullius gnaros fuisse. Væ tibi Romanæ Præfcul eloquentiæ! quid huic repones, dum te arguet dicentem: quòd nulla gens tam barbara sub cœlo fuerit, quæ aliquem Deum non coluerit; ita sanè nisi Hunni barbariores fuerint barbaris, nisi historici complures Hunnorum quærant patrocinium post sæcula, qui eos Herculi, Marti sacrificâsse, imò ex Hercule natos fuisse perhibent. Omnes ab iis potentes, & sapientes fuisse sublatos è medio. At unde militarem adeò scivere disciplinam, ut cùm erumperent, eosdem ordines, acies instruerent, atque Europæi. Deceptores, & potatores insanos fuisse; bellè admodum atque cohærenter; illine? qui, ut ajebat, præ inertia nec ignem adhibebant coquendis cibis, gravissimam vinearum culturam obiverunt? nempe miraculo ethnici potus illi defluebant. Judicum improbos mores donis corruptos; cùm tamen antea nullos duces ipsò teste haberent, imò palabundi, ac egentes orbem circumirent; gratias referre

debebunt Lindano è Platonis idea illis dona illa depluente. *Sponsum sponsa in signum futuri matrimonii idolum quodpiam præsentasse* : Quomodo idolum, qui nullius erant superstitionis gnari? utinam etiam idolum aliquod præsentasse bono viro, quod doceret, virum verborum debere esse memorem, aut immemorem plecteret. Quæ, rogo, hæc tandem est orbis descriptio? quæ sarcina scrutorum malè cohærentium? credibile est tumentiorem eam futuram fuisse, si ad manum aut memoriam fuissent fabulæ Satyrorum, aut Jornandez in paucis Hungorum amicus. Ni mirum acerbi hæc eorum ingenii est vanitas, qui dum pulcherrima documenta virtutum, & exempla proferre in medium haberent copiam, salibus insulis, & nævis populorum implet volmina cum dissensione animorum, & damno sinceræ posteritatis.

IX. Recentes, ut quidem concludere licet, aut à tempore conversionis, aut certè posteaquam Turcæ inundârunt Hungariam, ferè acriùs, & acerbiùs pectit, quorum piget meminisse. Pro liniendo dein vulnere addidit unguentum: *Qui ex meliore, inquit, luto sunt nobiles, sunt magnifici, pleni gravitatis, humanitatis; admodum sunt audaces, in consiliis callidi, & astuti, opibus potentes, plurimos habent à se dependentes, talesque fideles Domini suis reperiuntur. Equorum, vestiūmque pulchrarum, armorum, pompa, deliciarum amatores magni sunt; huic tamen præcipue operam dant, ut timeantur, & bonorentur. Amicitiae illorum non est nimium feden-*

dendum, quod per amici nomen sapius fallant. Hyberno tempore intra pelles se continent, aromatum tantum in cibis adhibent copiam, quemque gens alia nulla, dein vinum largiter baurient. Juventutis annos ut purum castè exigunt. Ineria naturā sunt dediti; illorumque faminae singulis diebus otiosæ. Habitu corporis Turcis similes, longas enim habent tunicas, & dormientes tapetibus incumbunt; foisis pompam sectantur; in prima juventute despondent matrimonias ad amicitias firmandas. Multa tamen, & in his primo capite jam rejecta, alia scipis concidunt, multa essent corrigenda: nam licet Hungari ex peccantibus pariter Adami sint progenie, tamen qui politiore scripsere calamō, & Musis fuerunt in amoribus, alia indolis Hungaricæ linea-menta duxerunt. Barclajus in humaniorum Musarum excultus gymnasio, dum rapiendi im-potentiam describit, habet: *Dixerim bellō, & assiduis malis factum, ut vulgus, quod in agris habitat, excusâ rusticitatis simplicitate, in seditionem plerumque abierit, nullō discrimine in suos atque hostis milites, insidias struunt.* Quō quid humanius ad excusandam mali necessitatem, non geniō, sed acerbissimis temporibus invecti de nobilibus nihil iste luti meminit, sed mentem erectiorem, meliorem frontem, animum ad magnificentiam factum, membra, incessūmq; compositos ad venerandam majestatem, sive superbiæ mentione, aut suspicione dixit; ita humanitas loqui didicit, ita æquus animus acta mortalium in dextram partem inclinat. Addit

iste magnos Hungarorum animos dura, aut soluta imperia pati non posse, & ideo majorem in iis armorum pertinaciam contra Turcam, qui in unam servitutem omnis claritudinis, sanguinisque familias premit, è quibus verbis tempus est ad exemplum de libertate transire.

X. Descriptio Reipublicæ Hungaricæ veterem adducit quæstionem, ut author ejus præmunit, arduam, & confragosam: *Num Hungarorum Reges neminem nisi DEUM, & ensem agnoverint superiorem?* quod Bòdinus librō primō de Republica eversum pergit, adductis manuscriptis ex Bibliotheca Demolini, & impressis Augustini Steuchi, Episcopi Kisani, item Gregori VII. ad Salomonem I. Regem, tum ad Geysam literis; ex vaticanis deinde actis de Ladislao I. se fiduciariū profitente, de Ladislao IV. sacris interdicto, nec recepto nisi centum argenti pondo pependisset; de Andrea quodam Romam citato, quod agrum distraxisset; de Innocentio III. jubente Hungariæ Regem votum implere de bello contra Turcas suscipiendo; quibus exemplis quid significare velit dictus author, non libet disquirere, illud certum est, sanctō Stephanō coronam accipiente, qui consensu Principum titulum regium acceptavit, & petiit, eosdem ut fidem, defensionem Romanæ fidei semper susciperet, consensisse; nec præterea, ut vesticgal, aut tributum, sed donaria plurima mittere, factum fuisse. Eandem fidem exegisse à Salomone, & Geysa Gregorium Pontificem; nec ullius nisi sanctissimæ Virginis patrocinium agnoscisse,

visse, aut Stephanum, aut Ladislaum I. Ladislaum verò IV. non ob negatum tributum, sed ob scandalosam consuetudinem Cumanorum anathemate percussum, minus verò quidquam pendisse. Nec de Andrea præterea supereft, quām quod nonnulli Proceres contra hunc Regem peterent, contra quos dum alii vincunt, Wenceslaum, ac Ottonem coronant, ne, ut Revajus scribit: *Regni liberi libertatem amitterent in susceptione per Ecclesiam dati Regis*, sicq; palam ostenderunt, quam majorum virtus provinciam peperit, ac ab imperio non dependentem afferuit, liberam retenturos, nec alteri, quām Hungaros placuerit, in vitam, aut perpetuum regendam tradituros. Neque libertatem regno abstulit id, quod Henricus III. Petrum Regem restituerit, nam in nullis actis habetur eum sibi, aut imperio Hungariam vindicasse, sed electo Regi Petro suo cognato, & quæ donaria ipse, aut aliis occasione simili obtulisset, ea vel conciliandi patrocinii, vel pacis conservandæ, & majoris incommodi avertendi causâ fecisse, quale primum fecit Petrus, & Salomon, alterum Andreas.

C A P U T V.

Opes, magnificentia, liberalitas, frugalitas, temperantia Hungarorum.

I. **S**ive bella, sive pacem colas, opes necessariæ sunt; opes felicitate pacis crescunt, dum eritis ex infero orbe thesauris æraria Re-

gum intumescunt; bellorum incommodis etiam felicius augebantur; Hunnorum ea latè fama increbuerat, ut post Germaniam, Gallias, Italiam iterum, ac tertio expilatas nullam omnino regionem fuisse, quæ thesaurorum amplius condidisset: quos tamen in censum revocare minime arridet, quoniam, quæ parta sunt iniquius, absque lucro dilabuntur; at Hungaris ipsa justitia, belli justi fortuna, regionis felicitas de opibus providit; ex primo de Bulgaris bellò adeò locupletes redière Hungari, ut nulla extiteret pars templorum, quæ indotata remanebat, potestne quispiam inducere in animum, ut miles tam avidè, tam frequenter in arenam properaret, si nullum præter stipendia lucrum reportaret? potestne quis credere, ut sponte suâ tam imparati provolarent milites ad arma, nisi legitima stipendia solverentur? potestne dici tantas Proceribus fore clientelas, nisi tanto comitatui pares impensæ responderent? Belæ I. temporibus pace parta procudi cœpit æs, & insigniri, subinde remissis vectigalibus, & introductâ œconomicâ solertiâ adeò omnis ordinis excrevit opulentia, ut è vicinis nemo tantarum opum esset, qui Hungaris æquiparari potuisset. Communes jam antea Regum opes intueri licuit, nunc privatorum thesauros vestigare: quanquam quid proprium Regibus esse potest, quod illorum liberalitate non sit omnibus commune, aut quid privatis commodum, quod fidelitas Principibus non faciat speciale.

II. Georgius Szakmarius post impensas plurimas bellis perpetuis, & magnificis ædificiis præsertim ad urbis Quinque-Ecclesiensis decorum factas publicæ utilitati moriens legavit sexaginta millia aureorum, Corvini signo munitorum, ubi corvus rostrum annulum præferebat, nec reliquam pecuniæ summam referam. Varradinensis pro Matthia primùm, pro Uladislao iterum centena aureorum numerabat millia. Quid jam de Rosgonio dicendum, qui ingressum Regem Uladislauum hospitiū excepit, & pro dignitate Regia per amplis muneribus ornavit. Experiri jam ceperat Uladislaus, quod Budæ aliquando dixerat: *Domini, unicuius hor est culina Hungariae*; quod miratus fuit: *Bone Deus, quām hic omnia sunt expedita, quām rīli veniunt, atque illud in laudem sui antecessoris: Verè bonus hic fuit pastor, multas oves, & pingues nobis reliquit heros fortissimus*; ovium nomine Proceres, ac verè dynastas intelligendo; quod è vero quidem dictum in Matthiæ laudem, sed humiliori phrasi, quām ut magnificentiæ Procerum satisfaceret, qui etiam per cavillationem Lucam eum esse, non Marcum, dictabant, ut quantum recedit bos à generofitate leonis, tantis post Matthiam intervallis Uladislaus remaneret. Ita difficile est magnis Principibus pares inveniri, difficilior, ut etiam majoribus animis grandia priorum facinora transcendisse videantur; difficillimum ante illos, qui magnitudine animi, opibus pares erant.

III. Certè præter Barones regni, Comites Scepusienses iis possessionibus circumfluebant, ut 24000. exercitum in campum educere, ac restaurare abunde potuerint, idem de Matthæo Trenchiniensi, de Laurentio Ujlakio, & eorum, aut majoribus, aut hæredibus acceptum reddunt historiæ. Unam subjungeret pompa liceat, quâ coronando Uladislao obviam ivere Proceres, dignissimô, quod ubique gentium haberetur, spectaculô; habitus gemmatos ferebant orbe totô spectabiles, phaleratos, & supra hominum opinionem excultos equos, non aurô solùm, & argentô, sed lapillis etiam onustos; adeò quisque ad luxum omnem exornati, ut opes ibi Hungarorum profusas esse putâsses. Augebant admirationem & arma, aureæ, argenteæque galeæ, gemmati thoraces, & universa aurô, argentô, lapidibus scintillabant.

IV. Ad liberalitatis commendationem facit illud, quod nonnulli in cultis moribus adscribunt, nulla in Hungaria fuisse hospitia publica in receptacula viatorum, erant enim majores nostri eâ ad invicem charitate conjuncti, ut si quem negotia à propriis laribus prodire compellerent, mutuis obsequiis eundem exciperent, imò prævenirent, ad quos divertere contigisset; & quanquam isthuc officii fraterna apud alios pietas, apud Hungaros & humanitas effecit, ut mutuis officiis certarent, & benevolentiam, neque indonatos relinquerent, sed rebus necessariis prosequerentur. Convenerant apud Carolum Regem Vissegradi Poloniæ, ac Bohemiæ Reges,

ges, & Ruthenorum Dux Locha, singuli pro Regia Majestate comitati, tantâ rerum copiâ sunt habiti, ut mirari satis non possent. Joannes Rex Bohemiæ quinquagenis phaleris, & baltheis, geminis ephippiis aurô, argentô, atque lapidibus distinctis, poculis argenteô unô ducentis pondô, aurô purô alterô, lusu latrunculorum, cuius pavimentum jaspidibus, & smaragdis tessellatum, acies geminæ peditum, & equitum cataphractorum aurea, argenteaque & vestium ornamenta ferebant, donatus fuit. Casimiro quingenta auri pondo, & pro illo Joanni omne debitum persolvit, nec minore munificentiâ Locham accepit, ac anno in sequente eundem Gasimirum, sine hærede moriturum sibi Poloniæ regna legantem.

V. Nec minus Matthias exhibuit Uladislao Bohemo, quo cum ubi pacem firmâisset, auream, gemmeamque galeam cum vestitu plurimo, atque Regia supellectili donavit. Firmatâ cum Gasimiro, & Uladislao vicinis Regibus pace convivium instruxit infra tentorium, quod purpura, aurum, gemmæ tendebant, medium abacus incomparabilis pretii struxit; triclinii Præfectum Nicolai Ujlaki Bosnensis Regis filium Laurentium, juvenem iudole præstantissimâ instituit, qui quantâ celeritate, & dexteritate officiô functus fuerit, mirari omnes, mirari in juvene baltheum sexaginta aureorum millibus levissimè æstimatum. Finitô summâ cum varietate epularum conviviô Rex ingentia Regibus, ac Proceribus donaria distribuit, quæ laudarent, & miraren-

tur. Jam si tantas fecit in hospites impensas, vix erit credibile, quantum apparatum fecerit pro nuptiis Beatricis? universos illuc regni Proceres, vicinos Reges, ac Principes invitârat, ea, quæ ad convivium, spectacula, Regiæ ornamenti, abacorum pulchritudinem, & divitiarum ostentationem fuerant, supra modum, ac Persicu[m], ut Bonfinius ait, luxum apparavit; eò laudabilior, quod eôdem tempore ingentem contra barbaros exercitum omni munitionum, machinarum, annonæ genere refertum comparaverit.

VI. Jam verò quæret aliquis, ubi Reges illi hospitati; huic ego paginam Olahi magni explico, & in hac Caroli, Sigismundi, & Matthiæ Regum, grandium animorum imaginem: Vissegradum in radicibus Vértesiæ sylvæ arx edita, in fronte, quâ parte respicit Orientem, & Danubium præterlabentem, situ decorò, impensis magnifica, palatiis amplissima continebat ædes trecentas & quinquaginta, & hoc erat opus, quod quatuor Regibus, & universo illorum comitatui dignum præbehat aliquando hospitium. Interiorem areæ partem faciebat hor-tus vitibus, & omnigenis arboribus consitus, ex quo descensus erat graduum quadraginta, latorum ulnas octo ad aream tiliis cinctam, cuius in medio pensilis erat quadra, imminens cellis vinariis pro sumptu Regio, omnia quadratò strata lapide. Mediò surgebat fons ex rubro marmore Musarum, & Cupidinis imaginibus excultus, & ex vicino monte aquam per cana-

canales decurrentem in labrum marmoreum effundens, cùm verò triumphum, aut festivos dies Matthias Corvinus ageret, partim rubrō, partim albō vinō ebulliens. In hoc hilarare animum, audire Legatos, prandere pariter, & cœnare solitus Rex idem. Et ne defit occasio pietatis; facellum ponè erat, quod in omnibus arcibus struere consuevit Matthias, aris ex puro alabastro fabrefactis, auróque inductis, musicō instrumentō fistulis argenteis. Tum verò parte altera ascendebatur ad aulam majorem, in cuius medio fons alabastrinus cinctus columnis marmoreis, quæ in Septentrionem unō, alterō in Occidentem tractu porrigebatur, tam pretiosis ornata ædificiis, ut præter unam Parisiensem cameram in aula parlamenti nihil simile se vidisse per Europam narret Olahus, quam tamen totam peragavit.

VII. Priore quidem locō referenda fuerat Buda, (nisi pro Vissegrado quatuor Reges Casimirus Poloniæ, Joannes Bohemiæ, Stephanus Bosniæ, ac Serviæ Reges perorassent,) cui quidem celebritatem afferunt, in tam angusto clivo septendecim templo verè magna prout nunc ex ruderibus colligi potest; situs, quō jugum inseparat, non minus celebratus, ac Venetorum pelagō, & Florentinorum campestris; substructiones propè ad radicem montis descendentes; meatus subterranei ad balnea procurentes; forma urbis quasi in throno considentis, cui longissimum, latissimumque prospectum planum Rakosiense, sed et Regiam facit ambitus vicinorum

rum montium, & ad pedes præterlabens Danubius; longitudo urbis cum annexis suburbaniis; ut non immerito dixerit Olahus: quacunque ex parte oppidum & arcem longè prospexteris, magnam capies voluptatem tum ex sitùs amoenitate, tum ex domorum, turriūmque sumptuosa amplitudine, ut ideo fuerit emporium Italis, Germanis, Polonis, & cæteris nationibus frequentissimum.

VIII. De Strigonio, cuius eximus in omnem hominis voluptatem situs, illud subdere in gratiam natalis S. Stephani non pigebit. In latere utroque Metropolitanæ, & magnificæ quondam basilicæ facella sunt, alterum Thomæ Bakocpii Cardinalis, Archi-Episcopi & Patriarchæ Constantinopolitani, ab imo rubro, & polito marmore inductum usque ad summum, ubi in orbem coarctatur, & inauratō cuprō coronatur. Alterum opere testudineō variis picturis, & Bibliothecā vetustorum, omnisque facultatis codicum refertissimum. Hæc pro brevi eorum operum notitia, quæ olim juga visa sunt miracula, & à Divis ædificata fuisse.

IX. Ludovicus ille magnorum unus Regum, cui quotidianum fuit suis sumptibus externos juvare Reges, throno reponere, adversarios reprimere, unicā sibi patroni gloriā, & omnibus beneficiendi laude servatā vicerat Neapolim, & suam jure integrō fecerat etiam Siciliam, exul ibat inops, ac mœrens Regina suspicionis de cœlo marito non planè libera; miseratur Pontifex mulierem, Ludovicum, ut meliori for-

fortunæ restitui pateretur, orat; en reverentiam! en liberalitatem Ludovici inauditam! urbes omnes, si Salernitanum excipias Ducatum, & omnia oppida, præsidiaque restituit, pœcta trecenta aureorum millia remittit, Princes bellô captos liberos usque Venetias ex Hungaria honorificè deducit, addens: Regem Hungariæ non auri cupiditate (quod sibi domesticum esset) sed fraterni sanguinis, adeò iniquè profusi ultione, id est pietate concitatum arma sanguinariis hominibus intulisse. Adsis & tu Sigismunde, ubi solô probitatis tuæ affectu agendum erat, felicissime Rex. Veneti à Ladislao Apuliæ Rege, qui nullô tenebat Hungariam jure, Dalmatiam sibi donatam commenti, ut felicius possiderent, Uladislaum Poloniæ Regem contra Sigismundum arma capere urgent oblatô insuper 500. hastatorum stipendiô; at fidelior Polonus bellum & inhonesta stipendia, foedera cum Sigismundo renovat, & liberalem Hungariæ Regem experitur, Sigismundus enim allata quondam per Elisabetham Ludovici Matrem Boleslai Chrobi Poloni insignia, coronam, sceptrum, pomumque aureum donô dedit, quasi diceret, Regiam fidem non secùs, quam Regiis insignibus rectè præmiari.

X. Atque splendores isti in publicum ibant, & frequentius etiam in privatis ædibus habebantur, magnifici tamen illi Reges inter ipsa convivia temperantiam sectati, & apparatum frugalem. Unum si excipias, alterumve cum Bela cæco, quanquam probatissimi vini illiciis iana-

innatarent, à vini tamen excessu se tuebantur; neque ulla prodit historia somnō, aut vinō sepultos Hungarorum maiores victoriam hosti- bus reliquisse, donec à Mohacsiana clade adeò aut mœstos relaxare conati animos, aut in tor- porem nonnulli defluxerē; ut Solymanno regni caput expilante, viciniam reliquam choreæ oc- cupaverint, & epulationes; quasi suō gaude- rent interitu. Matthias ipse cætera magnifi- centissimus frugali admodum utebatur quadra; ex cuius vitæ studiis ut alios metiri possis, en brevem è Bonfinio paginam: *Pannoniis*, inquit, *Regibus* mos erat cum *Proceribus*, & nobilitate familiariter vivere, aditum negligentius asservari, multas sternere mensas, ad quas mendici etiam rogatores admitterentur, inter optimates amicè discubere, secundō ut plurimum pane vesci, domestici is nomen habet, omnibus Regis aditum patere, vivere incultius, ne humilia quidem atria fastidire, insanos sumptus in clarissima bella ero- gare, magnifica contemnere ædificia, domi par- simoniam, foris magnificentiam, & liberalita- tem amore &c. Prisorum ergo Regum vestigia sequebatur, utque suavissimā consuetudine sibi omnes obstringeret, nullō benignitatis officiō po- terat expleri. Cum optimatibus, & Praefectis mi- litum domesticè versabatur, gregarios quoque vi- fitavit, languentes propriâ manu pavit, sapè in acie vulnera ligavit, naufragi laborantibus succur- rit, & debilibus capita sustinuit, salibus propè ab inferis revocavit, omnibus gentibus domesticus, & in custodia neglecta omnium fide, curâ & sol- licitu-

licitudine nūmitissimous. Quandoque lautiore usus
comēssatione, ut curas abigeret; nulla domi gem-
mata pocula, nulla ferè atrīis aulea, apparatus
,, rudis; credibile est, in illius comparatione, quem
,, in armis observabat: nam cultus omnis ad
equos, & arma translatuſ, ibi aurum, gemmas,
& argenteum gestare mos erat, habitu denique
lautissimō uti, comāsque excolare gemmatis ser-
tis; donec adventu Beatricis in aliam omnia abi-
dere faci m̄, & cænationes, adficia, musici arti-
fices insanos sumptus hausere.

XI. Nunc ad eam, quæ temperantiae potis-
simā, pulcherrimāque pars est, stylum transfe-
rendo castimoniam, videre fuit etiam vicino-
rum testimoniō, juventutem illius quam ob-
servantissimam, addere liceat, etiam ætatem
grandiorem. Gravissimæ in rem præsentem
sunt majorum leges, exempla luculenta. Ra-
ptor puellæ decem juvencos pro raptu solvat,
puellam restituat. Qui incontaminatum se non
servaverit, decalvetur, iterum ac tertio, simūlq;
fiat servus cum ancilla, qui ancillam duxerit,
libertate privetur. Illud certè apud Hungaros
laudatissimum, quod etsi ipsæ nobilium paren-
tes partem œconomiae, imò per frequenter to-
tum onus subiverint, nulla tamen cura vigi-
lantior, quam filiarum vestigiis insistere, ne
quam domui labem aspergerent conversatione
minùs modestâ, si quando petebantur sponsæ,
nonnisi præsentibus matribus familias colloquia
siebant, contractus pangebantur, ut enim ali-
quis horror fuerit viduarum, ita processit ex
amo-

amore virginum intactarum; inde inauditæ veteribus Hungariæ matronis filiabus communes, & in virorum præsentia cœnationes; justissimóque timore intra domūs limites decentibus artibus institutæ. Jam conjugatis in scelus lapsis certa erat legibus mors, nisi conjux pepercerit; sed ad exempla.

XII. Stephanus Vazulem fratris filium juvenili petulantiae indulgentem carceri conclusit, ut probaret, quantum etiam inter profanos homines horrorem pateretur impudentia. Ladislaus belli exemplum dedit, dum raptam à nequissimo homine virginem persecutus, tandem consiliō, dum vi ex accepto antea vulnera non posset, equō præcipitem dare suavit; virgo raptorem detraxit, ac luctantem Ladislauum cum hoste juvit, dum raptā securi vindicem ab hoste liberavit. Notiora sunt orbi sequentia, quām ut fusiore calamō describantur, Bancbanus Andreæ Syriam adituri cum vicaria potestate Rex conjugem habuit pudicissimam, vi oppressam à lascivo Reginæ fratre, ac ut veniam simul, & famæ vindicias mereretur, conquerentem, subitanè ex gemitu, & turpitudine succensus dolore ulciscitur, & inauditō impetu Reginam, siquidem tanti sceleris ream, confudit, judicium Regis sponte subit, differunt causā publicā, tandem absolvitur, attamen violentæ justitiæ pœnas dedit, nam qui favebant Reginæ partibus, adeò undequaque persecuti sunt Bancbani, & illius consortis genus, ut brevi nullus superfuerit, qui stirpem produce-

dueeret ad posteros. Ità luit audax facinus, & temerarium, et si certâ Principis æquitate nixum fuisset. Hæc unius, illa universi regni fuit pudicitia. Ladislaus Cumanus malis insueverat moribus; Proceres ideo universi Romani Pontificis anathema exposcunt, valuit petitio, nam juxta Apostolicam authoritatem adstitit Divina. quæ à suis corrivalibus interimi hominem permisit. Nihil hic de repudiata à Colomanno Russa; nihil de Sigismundo eâ quidem causâ, ut conjicere licet infortunato, nihil de Joanne Corvino juniore, juvete omnibus cæteroquin donis præstantissimô, quam quia filio naturali, in Regem non admissô. Ità nimis sanctissimum solium non nisi viro undeque integerrimo deferri debere censebatur.

C A P U T VI.

Magnanimitas, acta fortia, fides subditorum in Principes.

I. **M**agnanimitas in fugiendis juxtâ, atque obtinendis honoribus illustris, ac Regia virtus, quandam virtutum copiam in magnanimitate pectore consequitur, ut aut ipse ex vero magnanimus se parem summis honoribus persentifcat, aut certè ab aliis judicetur. Atque hæc animi contentio dum justis enititur viis ad summa, coronari meretur, si occultis quandoque semitis absq; candidatorum injuria ascendit, laudem meretur, si dolô, & fraude, atque pertinaciâ fulcia-

fulciatur, ruinam, & facilem delapsum. Primam iterum phalangem dicit sanctissimus Rex Stephanus, qui maximis virtutibus fundamenta fecit Regii apud Hungaros honoris, qui Ducibus antea regebantur, neque poterat negari coronam nobili candidato, cui ante cœleste, Regium in terris æther ipse decrevit diadema. Tollant alii suos ad ipsas nubes vertices, at viderint ne invitis superis; tollant humanis ausibus, at ne numina contraria sentiant; felicius attollunt se se Hungari, quorum ipsi sustinent cœli diadema. Extulerunt sanè Divis propitiis caput, dum latis adeò finibus imperârunt. Nam Carolus olim Dalmatiæ integræ, Croatiæ, Sclavoniæ, Serviæ, Bulgariae, Lodomeriæ, Cumaniæ, Ramæ, Bosniæ, Russiæque jura dabat, his Matthias addidit Moraviam, Silesiam, Lusatiamque, dignissimus etiam Bohemis imperare, nisi potentia timorem incussisset, nisi etiam fatis fuisset jam antea Archi-Regem adorari.

II. Ingens verò illud magnanimitatis est ornementum, quod Christiana Respublica belli de-legerit Imperatores. In hanc primus assurrexit gloriam Ladislaus singulari religione, heroicâ fortitudine, & fœderatâ felicitate Ducum belli celeberrimus, elisurus profectò anguem in capite, nisi Numinis successoribus fortitudinis materiam relinquere maluissent. In eandem ergo militis arenam, & Ducis fastigium pervenit Andreas, ad extremas etiam primis mox auspiciis redigit Soldanum, ultimam certè daturum animam,

mam, nisi cum elementis postea pugnandum fuisset. Urgebat subinde Christianos Turcia, totamque Thraciam, & Macedonas occupavit, Innocentius Pontifex ut fortissimo Principi Ludovico pondus in barbaros adjiceret, Signiferum creat Ecclesiæ Christianæ, tanto dignissimum nomine, qui Bernabonem procellam, ac turbinem Italiæ composuit, Rascianos ad unionem coegerit, neque pugnando potius, quam percurrente victiarum palmas messuit, dignissimum, quia oblatam Christianæ Reipublicæ summam suâ sponte recusavit. Urgebant ecclesiam Hussitæ, rogatur à Pontifice Matthias auxilium, & jam audiit à sceleratis hominibus Papæ satelles, dignus equidem, qui ferrō carcinoma exscinderet, ut à servata Republica dictator audiret.

III. Neque bello tantum dare poterat Hungaria Imperatorem, sed pati etiam Cæsarem: intestinis imperium lacerabatur odiis, bellis etiam se perditum ibat, dum Pontifex, & Henricus V. Imperator in amica pacta convenire non possent. Tædiō malorum ingemiscabant Germani Principes, remedium etiam circumspiciebant, ut Cæsarem invenirent, qui pontificiam authoritatem coleret, & imperii par esset magnitudini; nullus eā tempestate, imo quā alia, omnium desideriis opportunior Ladislaō; huic ergo per Legatos enixē rogantes sceptrum imperii deferunt, enixiūs ille renuebat; gemina hic admiremur: alterum Regem à dignitate summa sponte veniente procul animos, procul ocu-
los

los auferentem, dum idem decretum in Saracenos bellum avidissimè accepisset; alterum illud: quām alia vota Germanis Attilam, aut Lehelum cum sociis ducibus cane-pejus, & angue detestatis, & in præsenti ad fasces imperii evocantibus, alia facies Hungaris odium tunc sui, & invidiam, modò desiderium excitantibus. At excusavit Ladislaus, ut quibus ante natus, & datus esset Princeps, integer permaneret, neque divisis curis dum Germanorum servit officio, suorum desit necessitati.

IV. Fecerat suæ magnanimitatis antea periculum, dum oblatam à Proceribus coronam vivō Salomone recusavit: ficerat exemplum Salomonis, qui tantis rerum humanarum patrociniis, bellorum aleis, Procerum favoribus, consiliorum artibus, denique relictō sagō, imò etiam paludamentō regali abiit ad eremum. Ficerat Stephano, qui abdicatō imperiō. quod impotentiū fortasse administraverat, sponte monachum induit, quasi è humili pulvere citius abiturum se crederet ad superos, quām è sublimi Regum fastigio. Almo denique Duci, qui majorennis, ne intestina furerent odia, Colmanno reliquit solium, dignius ipse aditus, nisi pietas magnis animis prævaluisset.

V. Ad ultimum hīc oculos reddite sæculum, Joannem Corvinum aspicite, Martem profectō si quis antea Hungaricum; in summa universi regni potentia, bellorum felicitate, omnium consensu regni Gubernator constitutus adeò ab omni procul erat ambitione, ut Gubernatoris

eti-

etiam manus in Procerum manibus reponeret, ne quid privatō commodō, omnia faceret patriæ saluti. Sequebatur virū melior patriæ juventus, plausum etiam dabant Proceres, attollere ad arduas, & quia regno fatales cogitationes non valebant; moderatione sicut suā merebatur, ut filium à carcere ad solium promoveret, cognatam hauserat virtutem Szilagyus, & ipse Gubernator regni, è carcere juvenem evocat ad palatium, ut ipse propediem in carcerem rediret, gravis iste heroi casus, nisi adulatores pessimi etiam cognatas animas persæpe commisissent. Aspice his pariter coævum Antistitem Varadinensem, feliciorem Corviniani regiminis Richelium, aut Hungarici nominis Cominæum, is educatō Rege meritissimus subinde juvenilem fervorem secessione domuerat, sed gratiæ redditus, dum maxima ageret omnia, neque haberet, à quo metum pertimesceret, è felicissimo fortunæ curriculo, desilit, & cùm facere majora pro patria non posset, pro salute sua fecit, indutus modestiam familiæ Franciscanæ.

VI. Horum ingentibus animis magna stabat Hungaria; & quid horum dico, illorum certè omnium, qui prima regni ferebant munia, Palatini sanè ætatum omnium viri præstantissimi, digni, quibus sc̄eptra darentur, & coronæ. Quorum si aut exempla secuti, aut prævenissent Matthæus Trenchinensis, Joannes Scepensis, Nicolaus Valachiæ, Laurentius Ujlakius, nunquam aut regni honorem anhelassent, aut

Regum mandata suæ cupiditati posthabuissent, detrectassent imperia, patriam miserrimè non discerpsissent. Non est magnanimum, neque diuturnum invitis Divis, hominib[us]que usurpare imperia, honoribus inhiare. Bela Princeps cætera egregius nisi per victimum Andream ascensisset ad solium, tam subito casu ipius ruinâ solii conquaflatus non obiisset. Indigebat illô quidem ad salutem patria, cuius optimis artibus in maximam effusa est opulentiam, at arcana nemesis uti voluit ut victimâ violentiæ. Ladislaus II. ultra quinque menses tenere non meruit imperium, quod Stephano III. fortis pro patria dimicante clanculariè invasit, ut crederet posteritas res maximas, oculisque omnium expositas furto patere. Nec melius illius exemplo usus erat Stephanus IV. qui viso Ladislaum indulgentiâ legitimi Principis usurpasse sceptrum, in idem violentè fuit grassatus, at luit cum grandi clade suorum victimus, & in angusto Zempliniensis arcis, furiis domesticis ambitione, & pudore agitatus, contabuit. Utriusque errorem emendavit Stephanus III. dum illum magnò toleravit animo, istum magnanimâ virtute compescuit.

VII. Principes suos maiores Hungari non honoribus, at virtute honorum dignissimâ sunt æmulati. Brevi serie sistendi sunt, ne volumen fiant acta fortia. Unus Opos Bathor, quid si Bathoreorum, columnina audis Hungariæ, proavus, Bohemum gyganteæ molis humi prostratum trucidavit, Petrum inter equites Geysæ for-

tissimum traje~~cō~~ pectore infregit, ad Nitriæ portas arcis unus penetravit, ibidem hostem interemit, pluribus vulneratis, denique amissō equō illæsus recessit tantâ pugnandi constantiâ, ut & donaretur ab Henrico Cæsare, & encomium audiret; si plures ejusmodi Geysa sub signis numeraret, desperatum esse de victoria. Recessit Imperator, non tamen Bathoreus, qui tunc Nitriâ, aliàs expugnatō Belgradō audiit celeberrimus. Ludovicus autem Estoras, magnorum parens Herorum, Dux belli in eadem oppugnatione primus ascendit mœnia, nihil de sui cæde sollicitus, tot enim eâ ætate inter Hungaros fuisse Duces, quot ferme milites generosè æstimabat. Nec minus Emericus Estoras probavit operam ad Damiatam, ferocissimè multos interemit, donec non haberet à multitudine cadaverum & hostium, quâ gladium vibraret; Myksa, Gaal, & Bothur pro Bela pugnantes, singuli Borithi invasoris regni singulos Duces captos traxere, & cum his victoriam in partes Regis legitimi. Nicolaus Pethesius iteratō Turcas ad Temesiām irrumpentes cecidit, tertio demum Ikacium ipsum à Turca Bosniæ Regem designatum, hastâ primūm trajecit, dein armatō pede conculcavit, denique adactō in jugulum ense confecit. Jakusithius Ducum Vladislai non postremus æmulum Polonum Albertō præsente, & universâ militiâ sternit.

VIII. Paulus Kinisius è minimis suâ virtute ad Temesiensem præfecturam progressus, heros corporis, & animi robore invictus, vas ille cur-

qui vix tolerabile unus abstulit, armatisque ar-
 matum dentibus arreptum in choreas circumtu-
 lit, fecitque facinus istud sanè perjucundum eō
 tempore, quō barbarorum sanguine torus dif-
 fluebat, & triginta amplius hostium millibus cum
 Bathoreo comite prostratis lassus vix animam
 trahebat. Nimirum virtus faciendo grandia cre-
 scit in grandiora. Quām dulcia, quanquam ac-
 census furore geminabat illa verba: ubi ubi Ba-
 thore es? ubi tu castitatis specimen, ubi fidei pro-
 pugnaculum, ubi severæ integritatis exemplum?
 Quām dulcis illa Bathorei echo: Adsum, adsum
 mi Paule, adhuc vivitur, nostra ruinam minan-
 tur corpora, tu fidem Catholicam, tu regnum,
 tu patriam tuere. Prōtritō demum, quod Ba-
 thoreum circumvenerat, agmine, partaque
 plenā victoriā, quām dulces sicutibus inter
 inimica cadavera epulæ, quām suaves ample-
 xus vicerunt hostem, vicerunt seipso; Paulus
 ob incredibiles vires Hercules audiit, at nos Ba-
 thoreum, & Kinisum duas Herculis columnas di-
 xerimus, ne unius gloria debitum alteri prohi-
 beat ornamentum. Nec ille oblivionem subeat
 miles, qui Tauruni Turcam jam enīsum in tur-
 rim, ut signum victoriæ Turcicæ exponeret,
 cūm aliter non vinceret, secum præcipitem de-
 dit. Nec illi omnes viri præstantissimi, quos
 quinque sæculorum habet memoria, de quibus
 ex merito dici potest: eam Hungaros habuisse
 virorum maximorum præstantiam, ut Ducum
 Trojanorum virtutes omnes, aut æquaverint,
 aut

atque superaverint; quos quia referre non vacat,
bene meminisse, ac precari non pigeat.

IX. At quemadmodum non est spectaculum
jucundius, quam vir fortis cum mala fortuna
eomposites, ita fortitudo non est amoenior,
quam exhibita cum periculo conflstanti; quae
si inter pares vim exerat, æternæ amicitiae aras
promeretur, si inferiore loco habitat, fidei dona
meretur; & ad æqua subsellia promoveri. Hic
fidelitatis exempla habes: Lambertus comes in
transversa discesserat, & fortasse Boritho fini-
bus Polonicis ad Lamberti penates egresso se se
adjunixerat. Victo spuriō Lambertus ad Belæ
Regis genna provolvitur, neque dubium, à
mitissimo Principe vir æternoquin potens reci-
piendus. Non poterat recipere frater, & quem
hostilis non hauserat mucro, sedis fragmine con-
terit. Carolo Regi duos casus infortunium pa-
raverat, unum in angustiis Valachiae, ubi Der-
cus mutato cum Carolo vestitu periit, ut Rex
evaderet. Domi alterum, sed Homonnaium
adjunxit custodem, qui meditatam necem in
tempore advertit, irruentemque non comitem
Felicianum, sed jam sicarium infelicem ense præ-
vertit, datoque signo prætorianis dissecandu-
dedit. Jam cervicibus Golomanni imminab
Chunorum Dux, adfuit Petrus miles, & tra-
verberatum Ducem Regi stitit captivum. Q
Gara Mariæ præststitit sui corporis interpo-
vivam servavit, & ne unâ morte fidem pre-
ret, tot sagittis insitum ferebat pectus, ut
veri non posset sine fragore, qui ederetur.

ties, tot vicibus insignem herois fidem resonabat. Nec minus debebat Corvinus Kemenio quam Bela IV. Forgatsio; pugnaverat Joannes in Turcam multis etiam hostium prostratis, at numerô impar canere coactus receptui, undique tamen ab Amurathe perquisitus, dissipavit insidias Simon Kemenius os, gestus, staturam Corvino simillimus, addidit etiam ultimam acceptis vestibus Corvini imaginem, cuius loco nobilissima summi viri, & patriæ victima obiit; pugnavit & Bela contra Tartaros, sed infelicititer in fugam effusus vix effugisset, nisi Andreas cum fratre recentem equum subdidissent Regi, ipsi pedites, & fratrum alter pro Rege mansit hostia, Andreas, quia pedibus valuit, cum ceteris plorium usus equitum hospitiô evasit. In illo Forgatsius felicior, quod evaserit, & Regi salutem dederit, in altero Kemenius, quod Corvinum servaverit ad novas deinde clades barbarorum.

X. Nec minus de patria meruisse dici possunt Chenericus Gyula, & Nicolaus Palatini filii, qui à sicariorum cæde Regias Caroli proles interiectu corporis conservârunt; aut Johannes Ragusius, qui octo mensium obsidionem toleravit acerrimam, donec tanto heroi heros alter ferret opem Corvinus; aut Lorandus, qui adductô etiam ad commiserationem Episcopô loci, antea à barbaris captô, maluit virum, quam patriam prodere, defenditque deinceps Agriam fortunatè, ut Stephano subsecutis post temporibus Spartam relinqueret eandem arcem

con-

contra centum viginti quinque millia Turcarum defendendi; aut Simon Legrarius, qui oblatis persæpe conditionibus perbenignis, ac etiam abeundi facultate maluit nihilominus tueri, dum annonam, militem, vitam haberet, quam Sabaczium Turcis concedere. Nicolaus Juristius, Ginsium, quid quæso illud propugnaculi, contra totam Solymanni potentiam acerrime tuitus conservavit. Adeò nimirum apud Hungaros verius fuit, quam Spartanos, viros promenibus esse.

C A P U T VII.

Clementia, justitia, ejusque administrationis ratio.

I. **C**lementia amicos parit, & obsequia, justitia leges conservat. Humana bonis, & malis temperata sunt, ingenuas mentes illa trahit ad probitatem, ista pervicaces à sceleribus abaret, hæc verò Regum est ars, ità clementem esse, & benignum, ut in indulgentiam non dissolvantur, ità justum, ut crudelitate non irritet. Quâ qui præstitere, præstabant etiam felicitate; at quam ea sit difficilis, satis appareat, quod tanta haec tenus Principum copia vix decimata subsisteret, sive quod Regum ipsi ferociores erant animi, & difficile fit in summa potentia libidini temperare, sive quod subdorum manes, & judicia de eodem persæpe facto diversam ferant sententiam. Neque ab hominibus ista satis temperet, sed à Dño datus

Princeps, quanquam & isti quot criminis, quo indulgentiae adscribuntur: legem clementia vix aliam habet, quam glorie, & magnanimitatis, pulchrum enim est parcere subjectis, & debellare superbos; iustitia implet legibus volumina, ut vix vastissimi capiant libri, nulla memoria; quia nimis plurimi mali mores, plurimas condunt leges. Iste referre cum & praesentis non sit otii, aut operae, neque ullius in utilitatem compendii, exemplis esto gratia utrisque.

II. Clementiam regni conditoris experiri potuisse sicarii è gentilitate perditissimi, si cum antesignano sceleris regiam veniam petiissent; liber ille abiit admonitus officii, illi sua sceleratos poenam in sequente miserè perierunt. Ladislaus quantis affectibus Vidum Salomonis impulsorem est prosecutus, ubi exanimem conspexit: utinam, precatus, te numina servassent, ut quam pessimè telam texuisti, melius retexeres, & ingenium, quod ad artes iniquas abusus es, in concordiae fraternali vinculum comparasses. Andreas Jerosolymitanus admodum temperavit animo, dum conjugem suam privatò judiciò convictam, ac se non salutatò confossum, primum suspensò judiciò, deinde deliberatò inultam reliquit, ita temperans æquitati conniveniam, ut hanc demereretur subditos, illâ terret sceleratos. Nec ferocior ejusdem filia in conjugem thori ob vitam servandam violati rem; Ludovicus enim Thuringiae Comes in expeditione Saracenica captus cepit amore sui Saracenam, quam ministrâ, & in conjugem acceptâ fugit

fugit ad Elisabetham ; nihil ista repentinè affestus ad spretos thalamos , nihil à fratre ultionis expetiit , imò natam è Saracena prolem matre dulcius educabat . Factò muliebri supra viri sui fortitudinem , & pudicitiam , nec apud ulteriora sæcula usurpatò .

III. Matthias Corvinus in utriusque virtutis temperamento eximius . Domuerat acri bellò Moldaviæ Præfectum , neque iacruentâ sibi victoriâ , cum qua sagittæ in spina dorsi retulit aculeum , brevi tamen advertentem errorem suum Moldavum , atque per literas veniam rogantem sinè magna tergiversatione recepit in fidem , ut deinde ejus opera contra Turcas fidelissima uteretur . Antistitem Metropolitanum authorem conjurationis in carcerem compegit , mox eō reconciliatō ità est usus in rem suam . ut Casimirus jam Nitriam illatus egredi cogeretur , & ut bonā veniā posset , Matthiam rogaret . In avunculo Michaële majoris fidei incrementa quærebatur , dum pristinæ , imò ampliori dignitati restitutum coluit semper , & amavit . Victorium Georgii Bohemiæ Regis filium plura contra se pro patre machinantem , circumvenit , at mox bene habitum sinè lytri mentione , imò donatum remisit , unum admonitum , ut patris errores detestaretur .

IV. Quantum verò laboraret Hungaria , ut omnem injuriam à suis , à finitimis amoveret , documenta sint , quæ severiora videntur . Latronum genus irruperat in Hungariam , qui domesticos , & advenas nullâ humanitatis , aut ho-

spitii lege habitâ infestabant, hos eō in bonum commune affecit suppliciō, ut dum viveret, quod quidem multos annos extraxit, ne famam levem latrocinii inaudiret. Secuti fuerant, uti fit, crudelitatem Proceres nonnulli, & in Almi excæcationem, ac filiorum ejus pessimi consutores; abierat è vivis Colomannus, non item adulatores, & ludente in terris cœli providentiā, cæcus Almi filius Bela folio admovetur. Altâ ille pace regebat omnia, tantâ etiam moderatione, ut mollior haberetur; fœmina, habet enim semper genus hoc ignes, aut furoris, aut amoris, Regina memor tantæ calamitatis, útque pluribus argumentis peroraret, filios quatuor elegantissimæ indolis ad senatum inducit; acerbiora quām contigerint facta, aut factorum consilia proponit, Regium sanguinem tam impie tractatum, filiis in parente necem desideratam, conjugem acerbissimè exoculatum ingeminat, neque tanti criminis exactam ultionem vehementius exprobrat. Fit in loco tumultus, & nisi falli velimus, concitati antea Proceres in reos, ac suos olim hostes arma stringunt, & quanta barbaries duce fœminâ! sexaginta nobilissimos viros, jam in senatum, in amicitiam acceptos trucidant. Non videbat hæc Bela, nam, nemo dubitat, mansuetissimus Princeps crimen inhibuisse

V. Bela iterum infelix, iterum Belam dico, nam primus quassatō soliō obrutus, secundus oculis erutis, quartus ereptâ Hungariâ infelix, cætera Reges præstantissimi, nam ille reductâ

pace,

pace, integratâ verâ religione, regni opulenta, alter mansuetudine, prudentia, ultimus quatuor filiabus sanctitate præclarissimis, & equitate celebrati fuere. Bela, inquam, tertius & fortis, & felix Sicariorum, quod genus è Dalmatico, Bohemico, Polonico bellis invaluerat, extremis afficit suppliciis, & quod efficere nequiverat ipse, filio Emerico dat in ultimis legatis. Duo præterea severæ justitiae exempla habent Hungarici annales, alterum Sigismundi Cæsaris; qui adeptô per Mariam Hungariæ regimine, in conjugis antea Regis hostes animadvertisit, pro criminis admissi gravitate admodum severè; Horvathum enim Croatiæ Banum ductò exercitu cum sociis capit, & per Quinque-Ecclesiensis urbis compita cudentibus forcipibus discerpi curat, aliò sanè, & profundiùs immissò charactere, quam dum in eadem urbe Ludovicus sacer gymnasium instruebat; neque satis erat, nisi instigante Mariam multos eâ tempestate, ac tandem simulatâ octenniō clementiâ tricenos duos Procerum nobilissimos enecuisset; opportunè quidem pro mulieris libidine, at non pro sua securitate, ea enim fortè etiam è causa prosperos eventus habuit nulos, imò & carceri fuit mancipatus; atque inde liberatus nova in dies habuit pericula, ut ereptis licet conjuratorum facultatibus, imò Stephani Transylvanorum Vajvodæ capite, se tamen eripere non potuerit sinistræ fortunæ. Videbatur nempe his intercessisse non amor justitiae, sed furor ulciscendi.

VI. Alterum sub Uladislaø II, impetraverat **Cardinalis Bakocsius** à Pontifice diploma, quô cuivis in bellum contra barbaros ituro plena criminum venia siebat. Auditâ hâc tubâ quadraginta millia rusticorum in arma conveniunt unus mensis intervallô; multitudini Dux præficitur Georgius Siculus vir cæteroquin militaris. Nobilitas plebem retrahit, renuentes punit; hos contra Georgius tuetur suos, furore accensus, ferrô, & flammis vastat omnia, in nobiles plurimos grassatur, ipsum Joannem Csaki Csanadiensem Præfulem acutâ sude transverberat, Temesvarinum obsidet. Rex insperatô hoste perterritus Bornemiszam cum prætoriano milite mittit, qui imprudentium cladem miseratus missô præcone nunciat, quicunque arma ponet, & Regia imperia sequi vellet, ad dextram secederet, reliquos pertinaciam luituros. Cessit è voto benignitati consilium, nam parte magnâ partes meliores amplectente, reliquos facile conficit, fugat, aut capit, captosque nasô, & auribus ad horrorem mutilat. Necdum sapuit Georgius, ergo Joannes Comes Scepusiensis Transylvaniæ Vajvoda novum in eos ducit exercitum fortiter primô impetu resistunt, sed ferociâ, non arte muniti cadunt, Ducemque Georgium vivum victoris manibus relinquunt, qui non memorandô suppliciô rustici belli finem fecit.

VII. Illud pro calce adjicere libet, quod antiquâ ratione judicij omnia Rege judice decerterentur, neque supplices libelli haberentur,

Bela

Bela IV. amplitudine tantum otium Regi non concedente, atque etiam litium casibus non ferentibus, induxit, ut libelli tum ad Regem, tum ad ejus juris consultos mitterentur; quæ ratio uti tum ingens Hungaris fuit aversio-
nis occasio, ita durat ad nostra tempora mul-
torum commodorum occasio, & difficultatum.
Neque mirum non fuisse lites insertas libellis,
nam præsentior videbatur modus ille veritatem
investigandi, non apud Hungaros magis, quæ
exteris nationes usitatus, & fortè ab illis ad
nostra translatus, uti in Gunegundis Imperatri-
cis integritate experiunda factum historiæ pro-
dunt. Quicunque litem alteri indixerit, mitte-
batur per Comites, & illorum officiales ad ca-
pitula, ut ferri cendentis examine probaretur,
ille æquam larvæ sententiam, qui illæsus por-
tasset ferrum; ambustus iniquam.

VIII. Alia huic proxima probatio litis fuit
aquam ferventem manu ingredi, nec amburi;
procul dubio ex veteri lege devoluta, sed nec
ubique præter Varadinum, & majores Præposi-
turæ permitta, nec sinè vanis superstitionibus
usurpata; quare sublatâ hâc judicii ratione, &
constitutis Regum decretis Carolus præsentem
litigandi methodum è Gallia haustam intulit;
salutari sinè dubio consiliô, nisi longissima Hun-
gariæ tempestas, litium etiam turbinem conci-
tasset, ut disceptæ gravissimis bellis possesso-
nes non satis ostendant, aut terminis, aut scri-
ptis, quô Dominô possidebantur, ita dum finis
belli pax esse creditur, longas generat lites,

jurgiāque majore, plerumque damnō, atque
fructu litigantium.

C A P U T VIII.

*Fædera cum vicinis, & horum in Hun-
garos benevolentia.*

I. **S**uis fœcundæ fulcris arbores, ne copia fa-
ciat inopes, sustentantur, suis imperia co-
lumnis. In vastissimam excreverat molem Hun-
garia, neque ruituram credidisset antiquitas,
nisi posteritas experta fuisset, plus malorum do-
mestica odia inferre, quam commodi socialia
regna adferre. Discerpebatur Germania inte-
stinis de religione dissidiis, neque satis ipsa po-
tuit pacem domesticam quærere, minus alienæ
saluti subvenire; nisi denique sua pericula ter-
ruissent; tandem enim verò, quod in exordio
finè periculo fieri poterat, incredibilibus da-
mnis persuasum fuit, ut imperium Romanum
subveniret. Credebant nimirum non creden-
dum esse Hungaros discrimen exaggerantibus,
qui antea gemino Gæsari simul, & ad incre-
menta sua restitissent. Sed ista posteriora sunt,
quam ut memorari in sæculis quinque possint,
ubi amicitias quidem exterorum firmabant do-
nis, & fœderibus, feliores tamen erant Hun-
gari, quam ut auxiliis indigerent, imò felicis-
simi, qui aliis ferrent auxilium: quidquid atta-
men bonorum accepere maiores ab exteris, gra-
tissimâ memoriâ coli jusserunt à posteritate.

II. Primum Hungaris fœdus cum Henrico II. suasit sanctitas, sanguis formavit, dum Stephanus ipse ut humanis etiam viribus Divinum convertendi subditos ad veram religionem consilium stabiliret, sanctissimum Imperatorem Henricum per legatos adit, & Gisellam sororem in amicissimæ fidei testimonium accipit in consortem; nec fœdus hoc à sanctis ruptum fuit, at, rumpi debuit subinde, ut magis firmaretur, nam Conradus successor imperii, non bonæ cause, bellum intulerat Stephano, sed causam suam defendantे cœlō, inauditō occulti tesserarii stratagemate didicit, cum quo coleret amicitiam. Posterior his Henricus III. Petri Alemanni Patronus, uni probaturus fidem, Hungariæ cæteræ bellum intulit, sed annonæ inopiâ depressus fidem, & benevolentiam Andreæ obsecravit, atque auditus tum primùm, postquam interposito Sacramentō pepigit adversus Andream nunquam, nunquam adversus Hungariam bella suscepturnum, & eum, quisquis è posteris suis id auderet, dira omnia à Nemesi experturum; Sacramenti denique religionem sanguinis charitate conjungit, dum Sophiam tradit Andreæ genero futuro.

IV. Duraverat semisæculō fœdus cum Occidente, cùm illud sciderat Colomannus, dum confœderatis ad Saracenos transituris hospitium negat, quanquam per Ladislai memoriam Ductanti olim belli rogaretur, at armato ipse militi facile subinde cessit, insignique charitate descendentes adjuyvit fœderibus renovatis. Præstan-

tiūs

tius istud præstitit Geyfa II. quia non suis, sed vicinorum inimiciis ad arma provocatus. Conzadi iterum cliens Rapultus Posonium: insidiis capit, Geyfa repetit, at non recepturus nisi vinceret, ergo armatus advolat, Rapultum capit cæsis Cæsareæ militiæ septem millibus. Gæsar hostiles impetus Rapulco adscribit, amicitiam iterum renovat cum Geyfa, à quo præter fidem etiam detractum altaribus aurum in belli supprias accipit.

V. Necdum satis ad amicitiam Hungarorum cum Occidente, Ottocarus causam præbuit utrinque, nam Hungaros offendit, quod ex Tartaria clade reliquum aurum Posonii armis, non jure quæsivit, & Posonii vix exiguum reperit, & propediem à Stephano Rege victus revomuit; Rudolphum deinde, cuius nihili mandata pendebat, legatos etiam iniquè accepit, ergo hic, ut Bohemum plenè conficiat, Ladislauum Regem in fœdus vocat, & socialia arma, in filium insuper adoptat; fecit hic filii officium, seu malefactorum Ottocari memor, five novi fœderis, plurimumque ad victorianam contulit, dum præter Hungaros 20 Cumanorum adduxit millia, ut securius vinceret. Victor Rudolphus Regem extulit laudibus, & longa pace frui permisit; durârunt felicia pacta usque ad Friderici III. tempora, quibus Matthiam Corvinum filii semper habuit nomine, sed ut Matthæ videbatur, non etiam charitate, quam adeò nescire credebatur, ut etiam in justa arma filium provocaret; quod quidem Coryno ideo acerbissimum fuit,

fuit, quod in parentem iniquè ferte cogeretur, quæ signa justissimè, magnóque Christianæ Republicæ incrementō in hostem torquere potuisset.

VI. Cum Oriente fœdus aliquando pepigerat Stephanus alter Hungariæ Rex, exiguum tamen operæ pretium tulit præter Venetos à Græcis attritos, qui contra utrumque Principem Dalmatiā quāvis occasione, aut tutabantur, aut captabant. Rogatus etiam fuit aliquando Ludovicus, ut labanti Græciæ succurreret, quod tamen fatō contigerit, nunquam aut ætas, aut negotia permiserunt; Cræcorum culpā accidisse videtur, qui dum sacro sanctæ Sedis fidem respuebant, amica arma obtinere non potuerunt. Cum Polonis arctior fuit Hungari concordia, quibus persæpe dederunt reginas, non raro sponsas accipiebant. Sæpe dabant milites, aliquando Reges accipiebant, nunquam tamen integrum coalescentes, sive gloriæ studiō, sive invidiâ veteri, quod cœlō judice Hungari præcligerentur ad coronam.

VII. Cum Bohemis quamvis culta fuerit amicitia, utpote cum quibus ante Ottocari æstatem in amicitiam nunquam redierint, tamen habitō cum Sarmatia bellō, visum est Stephano II. cum Bohemis ictō fœdere jungere amicitiam, convenántque Reges ambo dexteras juncturi, cùm Solchus utrique suspiciones ingerit odiorum, & mutuæ simulationis, unde subitaneum exarsit prælium, quod exactō, & scelere deprehensō impostor pœnas, regnum utrumque perpetua

petua fœdera retulerunt; quæ deinde occasio-
nem fecere Bohemis in Hungaria res agendi,
imò ut Wenceslaum Bohemi filium sibi Regem
postularent, ut hi cum Polonis, & Lochâ Rus-
sô Hungariæ Regem litis arbitrum eligerent,
nec unquam ea fœdera rescissa nisi dum Ludo-
vicus suppetias mitteret Casimiro Polono, aut
Matthias Georgium Regem Hussitarum labe in-
fectum jure violatæ religionis persequeretur,
cum quorum tamen successoribus deinde in gra-
tiam redivit.

VIII. Unum Hungaricis fœdus deerat, in hos-
tes videlicet pietatis, in quo dum Ecclesiæ sum-
mum caput, dum Christianus laborat orbis,
nequidquam abiēre tempora. Ibant in Palæsti-
nam milites terrâ, mari ue, sed aut proditi pe-
rièrē, aut patrium anheli solum reviserunt.
Matthias post homines natos fuit belli Impera-
tor, qui suminâ tandem industriâ istud perfecit,
ille tandem Venetos, cum quibus æterna fuêre
bella, in societatem adstrinxit, à quibus quot-
annis 40000. aureorum in fœderis indicium ac-
cipit, & ut continua bella gereret in imminen-
tem Christianorum cervicibus barbarum, fecitq;
ingenti studiô, dum ad interiora Mysiae pro-
gressus, dittimas fodinas occuparet, facturus
sine dubio majöra, nisi, nescio, quæ rerum
Christianarum infelicitas novi belli faces in Au-
stria succendisset; in hoc tamen ipso fortunam
secutus, novum iniit fœdus cum Cæsare, &
Pontifice contra Bohemos acceptâ sponfione
peadendorum in belli impensas sexaginta mil-

lium aureorum; at quia non est, nisi magnanimi alienæ gloriæ ministrare pabulum, nihil ultra sponzionem accepit. Atque hoc est princeps exterorum beneficium, benevolentia, ultra quam, si nostra illa sæcula percurramus, nihil ferè videbimus, quod acceperit, multa quæ Hungari contulerunt. In quo tamen Romanæ sedis munificentia exceptionem meretur, cuius magna nomina brevi catalogo descripta sunt.

IX. Prima Apostolicæ Sedis beneficia sunt, quæ à cura pastorali porrecta, Scythicis námq; regionibus S. Andronicum, Theotimum, Nicetam, Pannonicis Domnium, Laurentium Lau-reacensem, Severinum, Rupertum Juvavensem, Urolphum Pataviensem, Cyrillum, & Methodium, Pelegrinum, atque Adalbertum submisit, qui Evangelium Christi sudore, & sanguine distillarent. Leo Papa ad conciliandum Hungarum Henricum, cùm alia tentáset omnia, in Germaniam ipse proficiscitur, quanquam verò frustratō conatu, attamen ominosō in victoriā Andreæ de Henrico reportatam, unde Andreas ordinem Crucigerorum redintegrat, & in Hungaria propagat, sed cùm horum pars Venetos contra Hungaros iniquè adjuvarent, ab Innocentio III. anathemate sunt percussi. Bellis Saracenicis Duces Ladislaus, deinde Andream, ac Ludovicum præfecrē Pontifices, ingenti sanc gloriā, ut Christianæ militiæ Principes haberentur, neque alteri faciliūs ea provincia contigisset, nisi fatorum ordo aliud cecinisset. Sigismundum deinde Hungariæ Regem, ut Imperator

rator crearetur, Joannes XXI. effecit, eundem Eugenius IV. insignibus Augustalibus redimivit. Pius II. Matthiae Regi contra Bohemos Hussitas grandem pecuniam, & in præmium Bohemiam, Moraviam, Silesiam obtulit, contra Turcas Xystus 50000. aureorum. Neque his definita credere beneficia cæterorum, quorum magnitudinem tempus, & calamus non capit.

C A P U T IX.

Indoles, institutio juventutis, artes liberales.

I. **Q**uam quisque noverit artem, in hac se exerceat, ad quod cuius natura, ætas, ordo rerum fert quemque, eò totis impendiis remos impellat. Non onnis fert omnia tellus, non omnem culturam genius; aratum melius colla Juvenci, melius heroas vehunt, spuman-tia, qui mandunt frœna; ipsa cœli declinatio acrius infundit se se generosis, quæ lenius tolli-tur, leniores depluit animos. Ab ipsa majo-rum consuetudine, usu, nascuntur soboles, aut si degenerent, redintegrantur, quando per pa-rentum scuta, gladios, hastas voluntantur. Mil-tiadis trophya somniabat Themistocles, æmu-latione & aspectu id per somnia ingerente; ita ætas proiectior velut è somno juventutis educta reddit imagines primæ educationis. Per-sæpe vidimus eximiam indolem malis artibus à scipsa descivisse, nec raro tardiusculum inge-nium ad summa pervenisse vigilante disciplinâ.

Quod

Quod si ad generosae mentis sementem indecessus accedat Magistrorum labor, rebus maximis excellentiora miratur orbis, his artibus encuntur deliciæ orbis, hinc affectus illi nascuntur, ne homines nonnulli, aut unquam nati suisent, aut nunquam denati. Tria potissimum sunt mortalium ingenia, summa, infima, mediocria; tria pariter optimarum artium genera virtutis, sapientiae, militiae; in his iterum Duxum, magistrorum, senatorum, gregariorum ordines, Principem sibi vendicaret ipsa nascendi felicitas, nisi humilibus orti natalibus ad virtutis ardua eniterentur. Laus ea Reipublicæ maxima, quod probos, imò optimos adhibeat summis, illa priori suppar; habere domi ingenia maximis paria; habere virtutum Gymnasia, & institutiones; quæ ad communem Reipublicæ felicitatem quam accommodata fuerint omnia, compendiō proponentur.

II. Virtutis Gymnasia tot numeravit Hungaria, quot dicatorum DEO hominum asceteria, qui nobilium sobolem pietatis flammis alebant, integrerrimorum institutis morum excolebant, ut omittam pervigiles doctissimorum Præfulum curas, qui quantâ propensione, atque solertia idoneos Divinis officiis homines efficerint, nemo fatis explicet; ut quod in aliorum Procerum atriis obtinebant statui publico regendo Gymnasium, idem in clientela Præfulum habarent artium Divinarum. Sed pro regali solitudine, & suō in studia literarum amore Ludovicus pleniūs cluxit, quanquam enim majora

sum Carolo diversos artium, ac iurium Magistrorum advocaverint, id tamen haud è rebus, & commodo Hungariæ ratus, nisi ex ipsis essent Hungarum, qui posteris easdem transmittere possent, Quinque-Ecclesiis, urbe si quæ in orbe alia studiis aptissima, Solymanno ex amoenitate situs, atque cæli, paradyfus terrestris vocitata, ædificiis Viennæ comparata, studiorum atque artium palæstram erexit, ad quam innumera juventutis patriæ multitudo confluxit, ut difficile sit credere, Jano Pañonio suo tumulo inscribenti: *His fitus est Janus, patrium qui primus ad Istrum duxit Laurigeras ex Helicone Deas, nisi forte primus ipse fuerit, qui tam felici haustu, tam delicatō Musas amaverit ingenio, ut reliquis præriparet illarum amorem, primus conscriberet genii partum, quō posteritatem oblectaret, aut certè Corvini temporibus in floribus artium floreret ipse eminentius.*

III. Atque ut Hungarorum ad Latinarum litterarum, & artium studia natam indolem brevibus capiamus; ut Matthiæ Corvini propensissima studia, satis ista sint ex Inchoffero: Nulli quām Hungarorum nationi magis familiarem esse Latinæ linguæ usum, non qui illis nativus sit, sed quem indolis propensione, & animi voluptate in scholis à tenera ætate capit. Et liceret in loco planè illustres ordine percensere viros, qui ex Hungarum omni doctrinæ genere instructissimi, theatrum, & coronam apud doctos meruerunt, semper in admiratione verlati. Satis interea sit addidisse, nunquam majorum suo-

suorum exemplo facturum fuisse Matthiam Cor-
 vinum, ut Budæ in sua regia celeberrimam to-
 tius orbis Bibliothecam instrueret, nisi quem-
 admodum plures olim extitisse, suaque ætate
 esse in Hungarîs, futurösque semper celebri-
 mos viros, qui eâ uti nōssent, perspexisset.
 Eapropter eam non in regiis ædibus, sed in pe-
 culiari templo consecratam volebat, ut non
 solum publicè omnium utilitati consuleret, sed
 amorem studii cum sanctitate, & religione
 conjunctam vellet. Scribit de ea luculentè Ale-
 xander Brassicanus, ita tamen, ut ejus vastitate
 Turcarum excisæ snae lachrymis non meminerit,
 identidem repetens: quis talia fando temperet
 à lachrimis. Tantum enim erat hic antiquorum
 Græcorum simul, & Hebraicorum voluminum,
 quæ Matthias ille Rex captâ jam à Turcis Con-
 stantinopoli, eversisque multis aliis amplissi-
 mis Græciæ urbibus, ex media Græcia inæsti-
 mandis sumptibus coëmerat, ac tanquam man-
 ciphia à barbaris receperat; tantum Latinorum
 librorum veterum, & recentiorum, ut nusquam
 in omnibus alioqui Italiæ Bibliothecis versatus
 ille Brassicanus scire potuerit, ut hinc facile
 conjicias vix ullam huic comparandam fuisse Bi-
 bliothecam, quam Matthias librorum ille helluo,
 gnarusque præter Græcam, & Turcicam omni-
 um Europæarum condidit, conductis librariis
 sumptu maximô, qui exscriberent, ut haberet
 libros etiam Vaticanæ peregrinos. Exteriorem
 splendorem ita describit Olahus testis oculatus:
 Tegebat loculamentorum quodlibet velum se-
 ricum,

sicum, coloribus, auróque variegatum, cum indice disciplinæ, & professionis. Maxima pars voluminum constabat membranis colligata, sericō, umbilicis, fibulisque argenteis aurō lucidis. Ac in his triginta Amanuenses aluisse, qui transcriberent. Ibidem omnium scientiarum Academiam instituit, & suō ære Magistros conduxit ex orbe terrarum celeberrimos.

IV. Scientiarum triplex genus omnem encyclopædiam absolvit, Divinarum primum illud, & dignissimum, politicarum alterum, in quo omne genus Philosophiæ continetur, tertium humaniorum; ad has consequendas diversa dedit ingenia diversum cœli clima; Hungaria uti solō uberi, & omnis frugis capacissimō, ità patiter ingeniis ad omne scientiarum semen vendum in fructus redundat; ætas illa existimationis detraxit multum, quā repentinā barbarus Hungaros caligine obduxit, in ea tamen tempestate ità floruere complures, ut quō essent nati solō, in mala fortuna demonstrarent. Habet regio hæc ingenia placida, & quæ humanitatis floribus apprimè delectentur, & in profundiora Philosophiæ acumen immittant, quibus ingenii limpiditas ità deservit, ut in lenissimos modò versus facillimè diffuant, in heroicos assurgant, imò etiam in confragosum Horatii clivum, sed amœnioribus præstant. Ubi Janus Pannonius, Franciscus Szegedius Tyrnaviensis, vitæ S. Margaritæ scriptor amœnus, & elegans, quam diversō carmine concinnavit. Oratoriam facultate, & profusione ingenii quām

quam libentissime amplectuntur, historicam unde
defectu instrumentorum necessariò remittunt,
sed supplant memoriae vastitate.

V. Philosophia, quâ parte Ethicam comple-
titur, indoli Hungarorum est planè cognata,
consiliis etenim eos valere omnibus est in con-
fesso, atque ideo Italorum geniō affines esse
creduntur. Non cogita hic de Ethica, quæ in
assentatione consiliit, & in omnem formam
fingit vultus, animō longius discedente; neq;
de altera, morum exterorum imitatrice; ma-
joribus enim Hungaris adeò res hæc invisa fuit,
ut idcircò inciviles à finitimis haberentur. Quâ
verò arcaniores habet quæstiones, ob acutum,
& acre ingenium non aliis concedunt nationi-
bus; Gallis adhærere gestiunt propter morum
facilitatem, si quando à severitate desciscunt,
nam etiam in educatione juventutis suêre se-
verissimi, & propter cultum vestium, quô ge-
nuum tenùs promissô ad omnem honestatem
compositô belli, domique semper, & florebant,
& lætabantur. Divinas adeò amabant literas,
ut nulli fermè, nisi tempestatum bellicarum
turbine fuissent impediti. Difficile istud credi-
tu videbitur nonnullis, ac etiam documentum
requirent ingeniorum, grandia nempe volumi-
na, quod ipsum tamen tamen quam multis multa
incommoda inviderunt, Hungaris maximè bella
perennia.

VI. Ad arma verò natos Hungaros probat in-
doles audax , magnanima , periculorum con-
temptrix , laborum & inediæ tolerantissima , eâ

quidem ætate, quâ suis moribus vixerunt. Adolescentes in castris educabant, ea fortè ex intentione, ut dum scuta pro cunis, dum reptare per clypeos assuefcent, indurati ferant hyemem, & æstatem æquō vultu, neque sub hac diffuentes, neque sub illa contracti: habuit ea res compendium militiæ, quod novos ipsa belli tempora milites pararent, habuit exemplum in Lacedæmoniis. Illud etiam accepimus à Paxtrum ætate, quod vicitis hostibus, Turcas intellige, cum quibus nativum & implacabile odium intercessit, si quando major esset captivorum numerus, quam ut in dominatum essent obsequia, nonnulli suos in truncandis exercebant filios, aut ne periculum facerent victoribus. Quæ res nisi barbarorum meritis compensaretur, crudelitatem sapiebat. Illud etiam erat incommodum, ne juventus ætatem non ferret, præmaturis fracta laboribus. Tolerabilis etiam fuisset, si pulveris adminiculô hostes fuissent sternendi, at vibratione non satis agebant nervis non solidatis impotentes. Atque hæc de universa quinque sæculorum Hungariæ mole congerere placuit, omissis fortasse lectoribus, quæ clades Turcicæ posteriorum aspectui subduxerunt, aut non inspectæ retinuerunt historiæ. E quibus quid quisque in laudem Hungarorum sentiat, quid in labem derivet, perinde licnerit; pro coronide totius laboris querere contigit, ac in utramque partem disceptare coram Senatu Populoque academico in eo honoris actu, pro quo hoc opusculum construebatur: an ad Hungarorum, de qui-

quibus evo'uta est pagina , salutem, felicitatem,
gloriam plus contulisse videatur religio , an for-
titudo?

C A P U T X.

P R O B L E M A A U T H O R I S :
An ad gloriam Hungarorum per 5. pri-
ma Sæcula plus contulerit Religio , an For-
titudo.

§ I.

Momenta religionis.

I. **A**SSurge Senatus, Populusque Academice, ma-
iestas imperat venerationem. Assurge
tota nobiscum Hungaria , & omnis , qui gene-
rosô pectore nobilior regnat sanguis , ebulliat in
applausum. Assurge Christianæ Respublica , reli-
gio pompam induit triumphalem. Arianam, pu-
tatis, fregit pertinaciam? apage cum his furia-
rum facibus; Adamitarum; erasit turpitudinem?
profundè ad infera stagna cum isto carcinomate;
Hussitarum & reliqui furfuris obstruxit rabiem?
ad rogos ista blateronum agmina fulminet ulti-
DEUS. Obtrivit illa hærescon viperas, contudit
crucis victrice clavâ venenatos ab orco draco-
nes, idolorum monstra inferis alligavit. Hunga-
ria tamen aliquid felicius attulit, unde pulchriö-
rem victoriam, nobiliorem plausum, triumphum
religio meruit illustriorem. Exulta modò for-
tunata patria! exulta honorum omnium fœcun-
da parens Hungaria! exulta nobilissimæ pompa
theatrum & arena! in qua religio virtutem vi-

cit universam, justitiam tributariam, temperan-
tiam ab obsequiis, fortitudinem sibi fecit vecti-
galem. Ad currum igitur oculos academicos, ad
ingressum religionis! justitia, temperantia, for-
titudo beatæ currum fortunæ ad arcem vehunt
immortalitatis; prudentia facem præfert, fides
dominatu suavissimô frœna temperat, alta cur-
rum possidet religio, spes divinior latera æqui-
ponderat, charitas aureo vecta alarum remigio
imminet cum æternatura oleæ corona. Aspicitis
animô pompam, fruimini gustu suavissimô, sed
à me pariter è sociali, pacificoque bello in cam-
pis Hungaricis, in area Christiani propugnaculi,
dignitate, famæ claritudine victricem accipite
religionem.

II. Aliquisne mecum in arenam egredi, vi-
ctoriam sibi polliceri, imò signa tollere, animos
& arma mouere audeat? pro tuenda religione
campum occupo, pro aris pugnam, pro sancti-
tate eloquentiam, pro superum cultu ingenium
obarmavi. Imò jam gestit animus canere tri-
umphum, obsfirmatum planè judicium victoria
tollitur, & occulti urget numinis impetus plenô
pæana classico insonare. Vici! totus pro me
militat æther, dum ego pro Divis; vici, dum
vis nulla contra superos audet sui honoris per-
tinaces. Vici, dum aliquot antea sæculis vicit
religio Hungarorum, atque ultra virtutes cæte-
ras magis una intulit famam, splendorem, glo-
riam immortalem. Tria siquidem deprehendo,
quaæ Hungaris apud exterios potissimum favere
videbantur: ex Hunnica & martiali ferocia soci-
cis

alis consuetudo, ex turpi videlicet matre pulcherrima filia; bellorum multitudo, moles, felicitas; singularis denique rerum divinarum observantia, quæ omnia nihil minus à religionis luce splendorem; quam vernantis terræ facies à solari lumine honorem capit, & incrementum.

III. Vestram obtestor fidem Academici, an non incredibilis est illa rerum conversio? quæ Hunnorum genus Europæ universæ invisum ante, ferox, exitiabile; à quo timor undique fulguris emicabat instar, à quo agris populatio, focis busta, urbibus excidium, provinciis vastitas, populis clades, liberis captivitas, aris sacrilegia timebantur, inferebantur. Illa, inquam, Hunnorum, (satis & nomen audisse fuit Europæ populis asseque) illa natio mutata indole, genio, moribus in amicitias, in foedera, in conjugia transiit populorum. Ad hanc viri sagittæ clarissimi Vencellinus, Pazmanus è Germania, Amadeus ex Italia, Eduardus è Scotia ultimisque Europæ insulis convolârunt, & ne paenitudine ductos arbitremini civitate donati, inclytas toti retro posteritati familias reliquerunt. Cum hac Poloni, Bohemi, Græci, Romani pepigerunt foedera, sanxerunt amicitias, conjugia celebrârunt. Suam ab Henrico Giselam Stephanus, à Græcis Pyriscam Ladislaus, Sophiam Andreas ab Henrico III. ut reliqua taceam nomina, acceperunt. Alii asylum hic petebant innocentiae, gymnasium quærebant virtuti, afflictis rebus patrocinium; neque illi improbi, atque egentes, sed heroës virtute singulari, fortunis splendidissimi, di-

gnitate inter humanas maximā præditi concur-
rerunt. Hic vestram iterum requiro fidem, unde
tantus Hungaricæ genti honor? gloria? felicitas?
ab una, si fastis, & majorum fidei, si vestræ me-
moriæ aliquid conceditis, religione.

IV. Altera est gloria & splendor martialis,
quam geminā facie vobis objicio, pro mœnibus
unam, in campo alteram attendite. E mœni-
bus religiosam sic habete Pannoniam: Funda-
mentum propugnaculi, ut apud pientissimos,
est religio: ab arce religionis protenditur petra;
inde tota Hungaricæ machinæ moles Christo
jungitur cultu sempiternō. Tremat orcus, bar-
barus urgeat, finitimi blandiantur, à fidei petra
Hungaria stat induulta. Jam in altum exsurgunt
mœnia, stant propugnacula; imò steterunt, re-
spicite Strigonium, Agriam, Jaurinum, Nitriam,
Varadinum, Vesprimium, Vacuum, Budam ipsam;
steterunt, at quali arte? quibus propugnaculis?
ubique arcem occupârunt aræ Principes; ut quan-
do militares exurgebant custodiæ, populorum
refugia tollebantur, infra religionis vigilias po-
nerentur, idémque essent Episcoporum domici-
lia, & arces Hungarorum.

V. In campis deinde latissimè dominata reli-
gio: inituri pugnam Hungari communi tesserâ
conclamabant Sacro-sancta Redemptoris, & Di-
vinæ matris nomina; in felicem eventum ibant
ad superos vota, & sacrificia; ut si Quiritibus
præter auguria, & aruspicinam bella ingredi fuit
sacrilegium, Hungaris absque propitiatis cœliti-
bus fuit malè ominatum, nimirūm vota & sacri-
ficia

ficia imperabant clasticum, erat religio majoribus Hungariorum Dux, ibat ad bella. E bellis cum hac ad tholos redibant & altaria, spolia tendebant & exuvias, ut ab aris grati proderent victoriam profluxisse. Signa parte inferâ leones, gryphes, aquilas serebant, summam semper crux, aut Divina Virgo obtinebat, ut ipsam fortitudinem de hostibus victricem religio duceret in triumphum. Viros in arena conspicimus, Capistranus pro Belgrado excubat, pro reliqua Hungaria quot Praesules & vigilant & moriuntur. Et ne bella Neapolitana & Auranæ priores, ne Tartarica cum cæsa Praefulum corona memorem, illud adjungo: ordo ille divinus, curandis aris, atque altaribus cæteroquin natus, in curia & senatu Regibus à consiliis, erat in castris pro vallo, dum sœpè tyaras galeis, vestes sacro-santas loricas permutavit; fratres Regni ambitione divisos, dolosis artibus in fraterna odia accensos restinxit, colligavit. Eloquentiae vos ista vendicabitis? sapientiae deferetis? potentiae adscribetis? ego sanctitati, quæ pondus addidit & auctoritatem; ego religionis majestati.

VI. Jam si exile quid putatis pro viribus sanctitatis, domari vitia, frenari furias, mansuetacere ferociam, submittere arrogantiam, quæ quidem omnis ætas primis in laudibus sanctitatis aspexit, ad extremum intelligite, quantum in illustranda Hungarorum gloria virtutes cæteras religio antecesserit. Collegerat Cæsareus vasa exercitus, nudumque Conradi Cæsaris obiecisse hosti latus; patebat Stephano campus ad

victoriam, casus impellebat expediri arma, palantes trucidari fortitudo militaris imperabat, vicit è throno Regii pectoris religio imperatrix, receptui cecinit, deditque grande sæculis prodigium, dum fortiores sunt sui victores fortibus illis hostium domitoribus, fortissimam nempe religionem, quæ singulari certamine viætricem sui fortitudinem superavit. Imperabat Emerici animo pulcherrima temperantia, jam regales prostravit delicias, conjugales evertit thalamos, & fasces ostentabat utrosque, cum subit arcem animi religio, nocturnas imperat vigilias, precatio[n]es assiduas, inediā ultra modum, tandemque superata temperantia, victimam immolat divinis honoribus parte omni integrissimam, cor Emerici. Sed hæreditati fortasse jure vincebat religio in patre & filio: vicerit, næ grandis hæc erat accessio ad triumphum religionis.

VII. Longius à stirpe Stephanea ortus erat Andreas, Dux ille contra Saracenos, nec tamen recessit vel unguem à jure vincendi religio. Pugnabat in Regis pectore conjugalis amor præ vindicando thalamo, regni & factionis pars utraque justitiam implorabat, at evicit religio, ut prius Palæstinam DEI vestigiis consecratam vindicaret, tum juri dicendo diem diceret & senatum. Eadem virtus duas in gemino magnóq; Principe Ladislao & Ludovico reportavit victorias; in illo amorem propriæ salutis & patriæ charitatem, in hoc justitiam & fraternam pietatem superavit. Rapuerat homo barbarus in somitem

mitem sceleris, intactam Virginem; vidit Ladislaus, indoluit puellam Divinis Baptisni ritibus sacratam in religionis ludibrii profanari: ergo arma corripit, armatum insequitur, sequi ferocientis objicit gladio, mortisque faucibus, ne religio capiat detrimentum. Vacabat interim Romani thronus Imperii, postulatut ille Cæsar, urgebant vota populorum, suffragia, Legatique Procerum, inflabat Romanus vertex; nihil ad hæc Ladislaus in unam suorum curam intentus; iterum vincit religio! Decernitur commune bellum in Saracenos, Ladislao defertur Dictatura; rem in animos inducite: recusatō antea Imperiō pacificō, humanæ compendiō gloriæ, vicitrice patriæ pietate; modò dum periculose plenum opus aleæ, gravissimum defertur bellum, impetu, nescio, quō plenus animorum, sitiens tanti honoris arma expedit, arma canit. Ità nimirūm pietatem religio, ità gyrat ducum pectora ardor sanctitatis. Imperaverat Ludovicus domitâ Neapoli vindex justitia ultionem cæsi fratris, imperavit fraterna pietas, ut cæsum Regem, sanguis Reginæ expiaret, nec erat aliis, qui vindicem, & victricem ab istu revocaret justitiam, revocavit religio; dum interpolitâ summi sacerorum antisititis autoritate suplice, ab hostia coronata Rex manum temperavit.

VIII. Filiali nihil suavius, nihilque fortius est amore; hunc in Matthia Corvino ita disrupta religio, ut Orbi proderet, non amicos modò, verum & Patres usque ad aras tantum esse di-

ligendos. Matthiae adoptione Pater fuerat Georgius Bohemus, beneficiō par ipsis parentibus, dum filio vitam, libertatem, sceptrum dedit & coronam. Magnis in hæc beneficia Matthias ferebatur affectibus, gratiis, meritisque quantas regia conditio pateretur. At ubi Pater à pietate recessit, Huiusitarum defendit, promovitque hæresim, tum stare pro aris Matthias, ejurare pietatem filii, pro religione, pro sanctitate arma ferre, quibus compendiō fortunatō geminam ab hostibus & pietate filiali herbam obtulit religioni.

IX. Atque hæc tanta sunt, tam idonea ad commendandam religionis victoriam, & enatam Hungariorum gloriam, ut ipsi tempori, argumenti gravitati, vestræ patientiæ injuriam facturus videar, si erectas vicos omnibus Divorum ædes, ornatas maximis impendiiis aras, aurata altaria, frequentia virorum sacratorum cœnobia amplissimè dotata, si contractus civiles ad sacras æras celebratos, martiales ritus ex obseruantia sacrorum ordinatos adducerem, ut illis contendam virtutes reliquias infra fastigium religionis fuisse & dignitatem. Neque superesse mihi aliud deprehendo, quam ut palam pronunciem, quod quemadmodum Roma triumphatrix, captarum simulacra urbium, hosium spolia, Regnorum exuvias, Duces, Regesque ante currum agebat, ita religio apud Hungaros ad summa se tollebat verè Regina, & Victoria, verarum trophea virtutum, & perennia gloriæ monumenta Hungariorum inferebat. Quemadmo-

admodum Carolus, austriacus Hercules dixerat, ita de Hungaricis rebus affirmare licet: venimus animis in memoriam quinque saeculorum, vidimus ingentia facta, sed victrice Christi religione. Atque istud est, quod convictus triumphum ante victoriam, & non auditâ parte alterâ, præter legis consuetudinem, ante pugnam, religionem vicisse dixi.

Momenta fortitudinis.

I. VÆ mihi Senatus Populusque Academice! vœ mihi contra superos, ut imposita jubet provincia, pugnaturo! quod si enim aliquando non imperante cœlō apponere manum operi fuit infortunatum, quæ tandem erit calamitas audere quidpiam cœlō repugnante? quæ porro mea meruit infelicitas, quæ mala me præfenti luci infudit fortuna? ut ossam imponerem Pelio, & gygantem audaciā superos oppugnarem; non ista me docuit pietas, neque fortitudo hæc est Christiana. Vidi ego virtutis candidato tumentes opponi fluctus, memini monstrorum agmina clavæ Herculeæ contraponi, memini armatos exercitus ob viros fortissimos in aciem collocatos, ut recte concluserim, virtutem in arduo constitisse; at verò sacrorum objici propugnacula, ut evertantur; aras Divorum erigi, ut conculcentur, arces religionis instrui, ut profanentur; id enim verò cui Herculi laborem dederit, barbari ferociam excitaverit, nec animi temerè ruentis fulgure satis comprehendo. Quorsum enim omnis mea conten-

lio, quo labor pertinet? apertô Marte contra Divos assurgere? Christiana inhibet prudentia; insidiis uti & stratagematis? vigilantis cœli lumina prævertunt ista meditantem, sociis agminibus victoriam præparare? infra spem & amicitiam fuerit socios adversus altaria animare. Pugnandum superest nihilominus, in ipsa jam arena posito quid factô opus? bene habet. Jupiter ille Ethnicorum cessit amoris, modestia & demissio persæpè vicit superos, aliquando armata religio; quis abnuat? quin mecum modò pugnet religiosa fortitudo. Hâc igitur duce victoriarum de religione, illâ signa canente pugnâ aggredior, & victoriæ religiosæ monumenta vobis annuentibus substerno fortitudini.

II. Ità demùm est Academicî, audax omnino, ne dicam sacrilegum, iniisse videor consilium; in superos pugnandum venit, ergò inferi evocandi; aut si furvis arenam manibus interdicitis, periculosam tentare aleam oportebit, superi contra superos in socia arma concitandi. Vestrâ idcirco veniâ Patres nostros, si non ab infidis, è tumulis excitabo. Manes igitur fortissimi, à tenebris ad lucem, à quiete ad pugnam, ab indecoro pulvere ad plenam gloriæ arenam huc adeste: non hic ego te repeto peccantis mundi malleum, vindicis DEI ensem Attilam; non te Lehelum cum cornu victoriæ ad obterendum novô genere pugnæ Conradum Cæsarem; non te Bothondum ad Græcum gygantem ad Byzantina mœnia prosternendum. Nolim ego vos hic loci apparere, ne plenô se cursu eripiatur religio,

Higio, in exilium abeat sanctitas, occupentque
 aras, Herculis aut Martis nomina; ne belli justi-
 tia iniquâ se pugnam acie iniurisse vociferetur,
 ne concessum hunc solennem, ipsaque apparata
 hæc mœnia corripiat horror inferorum. Vos
 ergo Patres patriæ, Heroum genus, belli ful-
 mina, fortitudinis prodigia, vos evoco inimi-
 corum sanguine purpuratos. Eja ingredere
 Hunnyadiensi è tumulo Corvine Pater, terror
 barbarorum! pro mœnibus affurge Matthia fili,
 utriusque simul Imperii hostis & victor, Ste-
 phane metus Orientis & Græciae populorum,
 cuius timorem cum lacte Bulgarorum pueri exu-
 gebant. Vos Ladislaos, Stephanos, Ludovi-
 cos, Carolos, quorum nisi pro mœnibus ste-
 tisset fortitudo, nullum religio apud Hungaros
 palmum occupasset. Florebat, non diffiteor,
 novella religio, dominabatur Hungaris, at non
 omnibus; Gyula siquidem faciebat periculum:
 fortitudo tandem fuit, sub cuius ductu intravit
 Daciam DEI hominis adoratio. Cupa etiam
 aras evertebat, at heroicus contumacem fregit
 ensis, quo caput impium resecuit Vencellinus.
 Affurgebant ædes & altaria, sed quò tandem?
 nisi in scopum Chunorum, in prædam & ludi-
 briæ barbarorum? nisi dextera Martis Hunga-
 rici Sancti Ladislai bis antea concisos, capite de-
 mûm minuisset. Quo quidem in argomento
 eti commorari mihi dignissimum, vobis acci-
 deret sanè perjucundum: ne tamen aliâ parte
 videatur minus posse virtus Hungarica, tran-
 scamus.

III. Consolatur me vehementer ipse hic loci apparatus, ubi non è rostris, sed pro mœni- bus verba facio; & quemadmodum timorem animo gigneret & trepidationem, si pro aris & in sacrario dicendum foret, ità me plurimùm confirmat, quòd in arce hac fortitudinis pro eadem oratione concertet. Assurgunt animi ab ipsa Hungaria, cuius imaginem adornata hæc pompa refert; Hungaria, inquam, ipsa solenni nomenclaturā theatrum belli, arena Martis, Europæ clypeus, religionis divæ propugnaculum, plenóque laudum compendio digna vocari Christiana fortitudo. Excitat me vestra indoles, quam etsi confitear Diorum semper fuisse reverentissimam; Christiano Marti nihilominus natam, innutritam, conse- cratam fuisse pàjäm affirmo; ut si Romanorum fuit agere fortia, & dura pati, Hungarorum pro religione fuit excubare constanter, depu- gnare strenuè, vincere fortunatè, vel occum- bere gloriösè.

IV. Fuerint pace meā, Regna alia sanctita- tis templa, quod sibi Italia; urbanitatis huma- narūmque artium Gymnasia, quod Gallia; in- dustriæ & laboris emporia, quod Germania; severioris sapientiæ sacraria, quod vendicat Hispania; Hungaria certè fuit fortissimum Chri- stianæ rei propugnaculum. Hâc potissimum laude florebat domi, séque ipsam oblectabat, fulgebat splendore hujus apud exteros, hujus alis ad gloriæ fastigium vehebatur, idémque fuit superioribus quinque sæculis Hungarus, at- que

que vir fortis, & martialis. Nihil apud illos non masculum, & quodammodo ferox, nihil non ad Gradivi amusse, arcum, ensimve compostum: vultus ardebat belli facibus, fulgurabant ad terrorem oculi, vox robustior, nullisque fracta deliciis, incessus gravis, frequentius incitatus, vestimenti genus ad pugnam, omnemque expeditus impetum, equitandi usus ab ipso late, naturâ non arte inditus, & quod Poëtæ canunt, Hungarorum filiis flectere ludus equos, partas ex hoste sagittas festinâ tentare manu, per galeas reptare per enses. Jam in castris disciplina ad rigorem singularis, ineradicibilis laborum tolerantia, æstus & algoris inaudita patientia, supra fidem parsimonia victus, atque si mirandum in Quiritibus extrahere sub pellibus hyemem, Hungaris usitatum sub altis nivibus, gelique habere receptaculum. Quod Hungariæ inter arma natæ, educatæ, adultæ contigit quanto frequentius, quam cœnobitarum ante aras concentus, tanto luculentius est Hungaros fortitudine plurimum orhem illustrasse.


V. Quod si verò domestica suspicionem movent argumenta in re jam comperta, ad externa provoco, paucis ne tedium ferat benevolentia. Vestrarum ego populorum voces appello; tuam sub Justiniano Cæsare Græcia, quæ tua tandem religio tam informis, ut paganis eâ tempestate Hunnis tributum penderes? ergo sanctitas superstitionem, religio perfidiam, DEUS idolum adorabit? falimus: bellicæ fortitudini ea tributa pendebantur. Vestrarum Bulgari fidem

fidem obtestor, scissi & ab Hungaris & à Romanis: nunquid idcirkò vestigal serebatis? ut ritus Romanos coleretis? nihil minus; arma id Regum Hungarorum coegerunt. Quid fuit; quod Veneti, Dalmatiam toties repetivisti? religionis defendendæ studiō ducebamini? at eandem coluisti; nimis potentiam Hungarorum nimiam timebatis, ne in vestra viscera facilis penetraret. Quid tibi Neapolis, dare potius quam accipere Reges assueta, ut Hungaris obtemperares? Ludovici arma hæc obsequia hos mores imperarunt. Denique quid moramur? res est in luce populorum; si fortitudinem religio tantis præcessit intervallis; cur si paucula demas, quæ frequentari poterant, exempla, neutquam ad exteris invitati tyaras Hungari? cur ad Romanæ apicem sedis non evocati? quando tamen ad scissum sanguinario odiō Imperium electi, rogati Reges Ladislaus, Ludovicus, Sigismundus, in obterenda hostium agmina petebantur, Stephanus, Andreas, & Matthias. Nunquid è pacatæ fini Germaniae evolavit ad Hungaros Vencellinus, ut miles is tantus apud Hungaros ad pulvina-ria sacrificaret? Amadeus desertâ Italiam venit discere religionem? nunquid Rudolphus Habsburgicus cum Ladislao inivit foedera, ut à semi-Cumano sacerorum doceretur venerationem? procul ista boni superi consilia! militarem ille inter Heroas explorare dexteram, alter inclyti Regis facta videre fortia, iste fortitudinem adamaverat.

VI. Memini sanè aliquas ab Hungari's ductas religionis colonias etiam usque ad Sinas vix nostrò jam ævō uberiorū cognitos ; at quot horum locō cum Bela Ducésque, militésque apud exterorū floruerunt? memini contentionē summā fecisse Christianæ rei sacros & profanos Principes, ut in Hungariis religio floreret ; at quorsum ista contentio? nimirū vires Hungarorum sibi alienas extimescebant, socias pro scuto futuras, & propugnaculo pervidebant. Memini religionis amorem Hungariis impressum altissimè, & naturæ dignitate ubivis excellere ; at famæ claritudine fortitudinem. Memini denique à DEO electam suisse gentem Hungarorum ; & jam Divinò ducor argumento, maiores nostros præstitisse meritis fortitudinis, & adeò in sublime proiectos fortitudine, ut Divi & religio illam aestimarent, facerentque fideli propugnaculum.

VII. Quæ dum enuntiavi, palam confiteor, fortitudinem castra metatam fuisse, valla fodisse & erexisse ; religionem fundamenti lapideum posuisse, sed fortitudinem eduxisse muros, disposuisse acies, arma expolivisse, hostes longius arcuisse, submovisse ; denique universum hoc Christianæ Reipublicæ propugnaculum religione conditum, heroā Hungarorum per quinque sæcula virtute defensum fuisse dixi.





INDEX CAPITUM PARTIS UTRIUSQUE. PARS I.

PROEMIUM. fol. 1.

CAPUT I.

Hungaria Regnum è singulari DEI providentia, Religione, ceu primo lapide conditum. 8.

CAPUT II.

Regnum Hungaria religione feliciter conservatum. 16.

CAPUT III.

Quibus in Hungaria praesidiis fuerit firmata religio. 32.

CAPUT IV.

Hungaria Regnum singularibus ab ortu delatum tutelaribus. 47.

CAPUT V.

Collata divinitus Corona omni fuit singularis DEI erga Hungaros providentia. 62.

CAPUT VI.

Corona Hungaria origo, usus, conservatio. 73.

CAPUT VII.

Reges Hungaria felices, aut infelices. 88.

CAPUT VIII.

Times, occasio, & minutio Regni Hung. 106.

CA-

INDEX.

CAPUT IX.

- Bella intestina, singularia certamina, si rata-
gemata.* 119.

CAPUT X.

- Bella cum exteris felicia, & infelicia, utra-
rumque causa.* 136.

CAPUT XI.

- Ordo militia Hungarica.* 147.

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

- Forma regiminis Hungarici Monarchica.* 1.

CAPUT II.

- In Regno Hungaria Ecclesiastici Ordinis di-
gnitas.* 18.

CAPUT III.

- Forma politica reliquorum ordinum Hung.* 35.

CAPUT IV.

- Ingenium Hungarorum, & libertatis amor.* 47.

CAPUT V.

- Opes, munificentia, liberalitas, frugalitas.
temperantia Hungarorum.* 57.

CAPUT VI.

- Magnanimitas, acta fortia, fides subditorum
in Principes.* 69.

CAPUT VII.

- Clementia, Justitia, ejusque administranda
ratio.* 79.

CA-

I N D E X.

C A P U T V I I I .

*Fædera cum vicinis, & borum in Hungaros
benevolentia.* - - - - - 86.

C A P U T I X .

Indoles, institutio j uventutis, artes liberales, 92.

C A P U T X .

PROBLEMA AUTHORIS:

*An ad gloriam Hungarorum per s. prima Sæcu-
la plus contulerit Religio, an Fortitudo.* 99.

O. A. M. D. G. B. V. M.
P. R. H. Honorem.



D. O. M. A.

S U B

*Amplissimo, Admodum Reverendo,
et Clarissimo Patre*

JOAN. KORNELI

è SOCIETATE JESU,

**AA. LL. & Philosophiæ, nec non
SS. Theol. Doctore, Almæ Episcopalis
Universitatis Cassoviensis**

CANCELLARIO,

*Anno Christi MDCCXLVI. Mense Julio
die Horā octauā matutinā.*

**PERILLUSTRES, REVERENDI,
NOBILES, EXIMII,
Tam Virtute, quam Eruditione Conspicui
DD. AA. LL. & Philosophia.**

BACCALAUREI,
*In Aula Academica Soc. JESU
ad Supremam Philosophiæ Lauream
consequendam per Eundem Licentiā
donati.*

DE IN PROMOTORE

R.P. FRANCISCO PINKA
*è Soc. JESU, AA. LL. & Philosophiæ
Doctore, ejusdēmq; Professore emerito,
nec non Facult. Phil. p. t. SENIORE.
Supremā Magisterii, & Doctoratūs Philosophici
Laureā condicorati sunt.*



N O M I N A

DOMINORUM, DOMINORUM

NEO-DOCTORUM.

Ordin. Alpha.

Ordin. Alphabet.

- D. ADALBERTUS SZOJKO.
VICS Libert. Polon. Crausoviensis ex Palatinatu Cracoviensi *Def. Universam.*
1. Perill. D. EMERICUS PINTÉR de Legenye Ung. Ujheliensis ex Comit. Zemplin. è Conv. Nobil. *Defen. Universam.*
- D. ANDREAS RÉPÁSI Hung. Sóvariensis, ex Comit. Sárosiensi. *Defendit Univers.*
2. D. IGNATIUS KRACZER Civ. Hung. Leutschoviensis ex Comit. Scepusiensi. *Defend. Universam.*
- D. JOANNES SARTORIS Hung. Szelczensis ex Comit. Zoliensi. *Def. Universam.*

D.

D. FRANCISCUS WUKA-
NICS Civis Hung. Budensis
ex Comit. Pilisieni. *Defendit
Universam.*

3. D. JOANNES KALCSO No-
bilis Hung. Galsiensis ex Co-
mitatu Neogradiensi. *Defen-
dit Universam.*

D. LADISLAUS MISKOLCZY
Nobilis Hung. Bartensis ex
Comit. Sárosiensi. *Defendit
Universam.*

4. D. LADISLAUS KORPONAY
Nobilis Hung. Cassoviensis ex
Comit. Aba-Ujvariensi è Con-
victu Nobil. *Def. Univ.*

D. MARTINUS SZTRAM-
SKY Civis Polon. Neofor. ex Pala-
tinatu Cracov. *Def. Univ.*

D. VALENTINUS KRCSMAR-
CSIK Hung. Krompachien ex Co-
mitatu Scepusiensi.

D. CHRISTOPHORUS ZEMBO-
VICS Hung. Katzvinkiensis ex Co-
mitatu Scepusiensi.

D. JOANNES SZTRAKOS Hunga-
rus Szelnicensis ex Comit. Liptov:

Extra Ordinem.

R. D. ADAMUS PRIBOCZY Libert.

Hung. Balensis ex Comit. Scepus.
Sem. Kisdiáni S. L. R. H. Alumnus
Diæc. Agr. imi. Anni Theol.

R. D. BERNARDUS BALOG Nobil.

Hung. Szöllösiensis ex Comit. Neo-
gradiensi. Semin. Kisdiáni S. L. R. H.
Alum. Diæc. Agr. imi. Anni Theol.

PROBLEMA IN ACTU DECISUM.

An primis quinque Sæculis
plùs illustraverit Hungariam sta-
tus Ecclesiasticus, vel verò sta-
tus Politicus?



K.K. RECHTSAKADEMIE
BIBLIOTHEK
IN KASCHAU

11-809

ACQUIDAM







